



HEXAS
COLLEGIORUM PHILOLOGICORUM
ORIENTALIUM,

I. Analytici. II. Cursorii. III. Metaphrastici.
IV. Polyglotti. V. Rabbinici. VI. Critici.

adhuc apertorum, & ipsis hisce *schedis* indicatorum
atque delineatorum.

P R Æ F A T I O.

HUic quivis Bonarum Artium *Magister* creatus & in Academiis pronunciatus, pro concessa sibi per *Magisterii Honores ac Privilegia* facultate & autoritate, tam in Philologia quam Philosophia, etiam habere possit *Collegia*; & præterea quoque prælegendi sæpius *Ducalis Stipendii nostri Ordines*, non singulis modo *Philosophia Magistris*, sed imprimis etiam in eo *Repetentium* munere fungentibus, varia aperire *Collegia* diserte concedant: ego tamen, à variis licet jam pridem admonitus, & nominis quidem magni Viris, *Philologica & Orientalia* maxime, in quibus me satis diu, nec infeli-

feliciter aliorum iudicio, exercueram, Collegia prius habere nolui, quam & *Repetens, Serenissimi Principis Gratia*, constituerer, & ipso etiam ordine, tum temporis, tum novæ illius Societatis, cui modo Collega adscriptus fueram, me quasi denuo vocante, singularem *Literas Ebraicas repetendi* atque curatius tractandi *Spartam* meis impositam esse humeris iudicare tenerer. Equidem nulla unquam vel *Claustralis* vel *Academica vita* meæ particula ab *informationis privata officio* vacavit, vel vacare etiam potuit; dum quamplurimis, sed singulis semper, quibus & ab aliis eram commendatus, & mea in tradendo Ebraico studio opera visa fuit expetenda, pro viribus inservire debui: verum, à *Collegiis Philologicis*, eodem cursu pluribus diversi ingenii auditoribus habendis, & iisdem, prius ad talem laborem technis subdolis militum instar conductis, spontaneo ausu offerendis, aut more propolarum etiam venum exponendis, mentem meam jugiter abstraxi & retardavi; dum tandem meum aliis officium honeste profiteri, ipsa *muneris*, quod gerebam, *ratio*, & venerabilis mihi *Superiorum voluntas*, & vel maxime *Illustris quoque Senatus nostri Ecclesiastici auctoritas*, graviter imperarent. Habui igitur proxime elapsorum *quatuor annorum spatium*, quo *Repetentis personam* tueor, varia & numero quidem *XII. Collegia Philologica Orientalia*: nimirum, *I. Fundamentale Grammaticum*, *I. Generale Philologico-Criticum*, *III. Analytico-Synthetico-Accentuatoria*, *III. Cursoria Biblica*, *Vetus Testamentum absolventia*, *I. Metaphrasticum*, versiones cum fontibus conferens, *I. Polyglottum Orientale*, *Linguarum & Translationum Orientalium rationem ac usum monstrans*, *I. Rabbinicum*, diversorum scriptorum Rabbinicorum utilitatem in sacra Philologia comprobans, & tandem

I. Criticum, Orthodoxum V. T. Textus Hebraici Originalis Criticum formans. *Dimidia dictorum Collegiorum pars his ipsis, quas Hexas hæc Collegialis heic exhibet, schedis aut programmatibus, abs me Venerabili ac Præstantissimo Dominorum Stipendiariorum cætui indicatâ atque oblata, & dein, cum quosdam semper, quantumvis raros, invenisset amatores, in Illustri Stipendio nostro etiam habita fuit: alia autem VI. ex recensitis modo XII. istis, potissimum repetita, à nonnullis, meam sibi operam utilem porro fore judicantibus, ultro etiam à me desiderata sunt & requisita. Jam quidem perfecta omnibusque numeris absoluta nuncupare hæc mea Schemata nequaquam ausim; qui probe sciam, quod hic modo mihi præfixus fuerit scopus, ut tractandorum summa, series atque methodus, & mihi, & futuris in aliquo studiorum istorum sodalibus generatim tantum versaretur ob oculos. Veruntamen, cum & hoc me non fugiat, me consignatis hisce & propria meditatione hunc in ordinem congestis Collegiorum Formulis actum haud agere, vel aliorum arare tantum vitulo: operæ pretium me speravi facturum, si memoratas sex schedas istas, præ reliquis etiam, publicis divulgarem typis; ut, cum eas primum videntes nostri Stipendii Dn. Superattendentes plurimum Reverendi non habuerint indignas, quas aliis uberiore declaratione explanarem, forsitan & deinceps quidam propositum istiusmodi Typum, vel pralucente alio Duce idoneo, vel proprio etiam Marte faciliq̃ Minerva sibi sequendum, aut aliqua parte imitandum eligerent; saltem eorum nonnulli, qui me filium istud, à me primo textum, lubenter pertexere viderunt & audiverunt, summa tractatorum capita in memoriam sibi eo facilius revocare possent. Scribebam Tubingæ in Alumneo Ill. Stipend. Theol. d. 28. Febr. A. 1729.*

I. Hypotyposis Collegii Hebraico-Chaldaici, Analytico - Accentuatorio - Synthetico - Syntactici.

IN hoc Collegio I. exponet ipse germanica Lingua Libellos *Ruthæ, Haggai, Malachia*, & post versus singulos *auditorum* quendam jubebit sequi modo auditam explicationem. II. Capite deinceps finito (quia dicti Libri *fundamentum* accuratæ *Analysios*, & specimen una in sequentibus observandum esse debent) præbit exemplo, vocabula *difficiliora resolventi*, juxta receptam apud nos, *Schickardi* Grammaticam, à *Winzero* illustratam, & ex *Buxtorffio, Wasmutho, Danzio, Altingio, Michaële* ac *Hillero* in nonnullis ulterius supplendam. Voces autem istas, etymologica anatomia in partes suas & origines resolutas, illico iterum alicui *εβραϊοφιλων* modo observato dabit deartuandas. Supponitur autem hic in Discipulo, jam prævia qualiscunque *elementaris* ac *fundamentalis* Linguae Sanctioris notitia, ex trivio vel aliunde percepta. III. Ad tradendam synoptice, cum *prosaicam*, & simplicem & compositam, tum & *metricam Accentuationem*, Textus studio seliget hosce, isti inservientes fini: scilicet 2. Sam. 22. una cum parallelo Ps. 18. & 1. Chr. 16. conferendum cum Psalmis 105. & 96. Porro *Alphabeticos VII. Psalmos* 25. 34. 37. III. 112. 119. & 145. Ulterius *Proverb. c. 30. & 31. & Jobi*, partem historica, partem metrica, & diversa accentuationis consecutione signata Capita 1. 2. 3. & 40. 41. 42. Tandem & ob duplicem *Accentuationem Decalographicam* parallela capita Exod. 20. & Deut. 5. IV. *Synthesin* grammaticam, accuratam Linguae Ebraicæ cognitionem egregie perficentem, ita reddet facilem, ut ex præmissa in analysi capitum expositorum phraseologia, *imitationem* cum auditoribus coram instituat *Grammatico - Accentuatoriam*, in præscriptis styli biblici exercitiis expoliendam: qua & compendiaria via, simul manucentur auditores ad *conscribendas orationes* Ebraicas, ad sacras loquendi formulas, usu sic assuefaciendas, proxime accedentes. V. *Esrae* ac *Danielis Capita X. Chaldaica*, simili dein pertractabit Methodo, & quam prope Lingua Chaldaica ut filia discedat à matre sua Ebraea, ex *Gerhardi, Nicolai, Sennerti, Hottingeri, Altingii & Buxtorffii*

torffii harmonicis grammaticis, brevibus exemplis faciet planum, solidam αναλυσι & συνθεσι hic quoque curaturus. VI. Capita, per tres vias adhuc indicatas, accuratae translationis in Idioma Germanicum, exactae enodationis vocum resolutu difficiliorum, & selectae Imitationis phraseologiarum sacrarum potiorum; quoad literas, vocales, accentus & contextum, reddita jam maxime & facilia & familiaria, absque punctorum signis dabit relegenda: partem, ut quis se examinare queat ipse, num in sua jam habeat potestate analogiam grammaticae perpetuam, & quasi mathematica innitens demonstrationi, ordinarium punctandi Artificium; partem, ut ita sensim praeparetur, ad intelligendas Exegetarum Ebraicas allegationes biblicas, isto signorum apparatu non vestitas, & vel maxime etiam ad varia Rabbinorum scripta non punctata absque difficili opera evolvenda. VII. Hebraismos & Chaldaismos, & una Orientalismos praecipuos, ab Occidentalium Linguarum genio syntactico, pleonasmis, ellipsis, enallagis, hyperbolis, figurarum insolentia, significationum foecunditate, Propriorum nominum pollentia emphatica, & reliqua proprietate singulari, non raro diffidentes, ex Glassio, Buxtorffio, Sennerto, Danzio, Wokenio, Gerdesio, Waltono, Wasmutho ac Hillero, canonibus atque exemplis illustratos, strictim declarabit. IIX. Rationem Poesios, tum antiquae Biblicae, & certa metri mensura circumscriptae, & stylo potissimum Laconico, graphico, figuratoque constantis, tum hodiernae etiam vulgaris rhythmicae, propositis carminibus quibusdam, ibi quidem, *Mosis* Ex. 15. *Deut.* 32. *Deborae.* *Judic.* V. *Davidis* Pl. 22. 51. 68. *Jesaiae* V. & XII. *Chabakuki* C. III. hic vero ex *Judaorum Machsor* die Expiationis, Pentecostes & Novi Anni, *R. Luria* de creatione hominis & lapsu, & *R. Gaon* de Morum cultura, ex *Eberti* versione, certis tradet regulis; ibi consultis, *Carpzovio*, *Wolffio*, *Pfeiffero*, *Abichtio*, *Clerico*, *Ruschato* & *Klemmio*; hic autem *Buxtorffio*, *Abarbanele*, *Opitio*, *Aviano* atque *Eberto*. IX. Tandem appendicis loco, expositum *Obadia* vaticinium, cum *Targum* & *Peruschim* Rabbinorum celeberrimum conferens, specimen dabit emolumenti ex *Targumicis* translationibus & commentariis Rabbinicis percipiendi. & X. *Characterem* *Judeo-Germanicum*, qui propter *Judaeos* inter nos versantes eoque utentes cognitu est necessarius, reddet familiarem ex Libro eorum

mora-

morali, *Zucht-Spiegel* dicto, metroque germanico antiquorum sententias referente, & ex *Buxtorffii* thesauro grammatico, exempla suppeditante varia. Pleraque hujus *Hypotyposeos* membra in *III. Collegiis* tractavi A. 1726. 1727. 1728.

II. Schema Collegii Philo-biblici Cursorii.

IN hoc, præmissa *Definitione Cursoria Lectionis* Bibliorum Originalium, ejusque notabili distinctione ab *accuratiore* quavis, sive philologica sive theologica, Fontium evolutione, ita versari conabitur, ut pro *Capitum ratione ac quantitate*, Horis singulis 3. 4. 5. vel 6. etiam Capita, ex fundamentali Lingua Sancta Hebraica, & partem Chaldaica, in notiores nobis *Vernaculam* nostram Germanicam, liberâ prorsus nullique sectariæ Translationi mancipata, sed fontibus authenticis eorumque *originali & punctationi & accentuationi*, quantum quidem potis est, proximâ maximeque consentanea *Versione*, cursim, nulla facile mora expositioni interposita, transfundat; indice digito tantum annotatis ex *Leusdenii* Vet. Testamenti compendio, *semel* vel *rarius* in Scriptura occurrentibus vocabulis, & simul strictim explicatis, Bibliorum nostrorum margini interdum adjectis, & sensum aliquoties immutare visis, *Masoretarum symbolis vel & correctionibus criticis*: Hunc quidem sibi met ipsi, & aliis quoque in hac fontium lectione commilitonibus futuris, sacrum commendans *scopum primarium*, ut continuata indies Linguae sanctioris tractatio, & in ea perdurans Bibliorum originalium evolutio α . cognitas in fontibus *Biblicas res ipsas* cum *Lingua notitia pleniore & perfectiore* menti inscribat; & β . perceptam prius generatim *analogiam* grammaticam pariter atque accentuatoriam amplius confirmet & magis magisque familiarem reddat; sed γ . etiam *vocabulorum Hebraicorum copiam*, sola hac methodo feliciter comparandam memoriæ firmiter ingeneret, atque iterata jugiter eorum ruminacione clavis quasi trabalibus infigat. Instat autem hac opera vestigiis utilissimis *Vivorum Celeberrimorum*, *Franzii*, *Cocceji*, *Franckii*, *Edzardi*, *Tribbechovii*, *Hardii*, *Langii*, *Stolltenii*, *Trostii*, *Michaëlis*, aliorumque plurimorum, quorum vel *consilia* huc spectantia, vel *praxin* pro se & discipulis observatam, non potest non plurimi æstimare æquus harum rerum judex. Habui hujus gene-

generis III. Collegia A. 1727. 1728. & adhuc 1729. totum V. T. codicem absolventia, dum nunc *Pentateuchum* historicosque Libros ista lectionis forma percurri, nunc *Prophetas* majores & minores ita evolvi, nunc etiam sic nominata *Hagiographa* metricosque Libros ista methodo perlegi, *totumque Biblicum codicem Hebraicum* hac ratione ad finem facile perducere potui.

III. Adumbratio Collegii Metaphrastici Theoretico-Practici, Translationibus dignioribus critice conferendis accommodati.

Hic I. præmittet repræsentandam *Metaphræseon*, in praxi Biblica deinde conferendarum, THEORIAM, atque probatis in Republica literaria Auctoribus, hanc materiam enucleate pertractantibus, *Glassio, Hottingero, Huetio, Calovio, Buxtorffio, Le Longio, Pfeiffero, Waltonio, Simonio, Walthero, Sauberto, Mayero, Raithio, Zeltnero, Leusdenio, Gellio, Franckio, Læschero, Wolffio*, atque *Carpzovio*, in laboris societatem cooptatis, agere debet generaliter *α. de Versionibus S. Scripturæ generatim*, iisque tum antiquis, tum recentioribus, & orientalibus & occidentalibus, tam eruditis, quam vernaculis idiomatibus conscriptis, earumque necessitate, præstantia, usu & abusu: *β. de variis Judæorum Targumim, vel Translationibus Chaldaicis*, earumque origine, ætate, auctoribus, discrimine, auctoritate, stylo, dotibus, vitiis atque utilitate: *γ. de Metaphrasi LXX' virali*, aliisque Græcis, *Aquila, Symmachi & Theodotionis, & istius 70' vir.* potissimum Occasione, Metaphrastarum numero & codice adhibito, Libris translatis, virtutibus & defectibus, veraque ac ficta auctoritate & utilitate: *δ. de Translationibus Latinis*, cum antiquis, ut *Italica, Hieronymiana, Vulgata*, & hujus maxime, auctore, authentia pontificia, vitiis quamplurimis, emendationibus frequentissimis, & honore tandem debito; tum recentioribus, *e. g. Aræ Montani, Münsteri, Castellionis, Tremellii & Junii, Piscatoris, & Schmidii* maxime nostratis, singularumque commodis atque incommodis: *ε. de Germanicis Versionibus vernaculis, Ulenbergii, Piscatoris, R. Josel Wizenhausenii, Berlenburgensi nova, & nostra imprimis Lutheri*, hujusque historia, vindiciis, prærogativa & imperfe-

Etione; nec non recentioribus, ortis è Germanico Idiomatibus divulgatis, *Anglicana, Regis Jacobi I. & Batava, Ordinum Belgicorum auctoritate* compositis, earumque vero pretio usuque legitimo. Prolixius autem II. PRAXIN ipsam *Metaphrasticam*, secundum genuina de Versionum *συγγεσι* principia ac præcepta critica, ex citatis ante Scriptoribus selecta, & fundamenti loco posita, & prius summatim explicata, in difficilioribus Vet. Instrumenti Textibus, præsertim Poëticis critice exercebit. Suppeditabunt nimirum *Exempla* sequentes, ex toto *antiqui Testamenti* corpore depromendæ particulæ nobiliores: 1. Jacobi Benedictio Prophetica Gen. 49. 2. Israëlitarum Epinicion Exod. 15. 3. Judæorum Benedictiones, Maledictiones & Promissiones Lev. 26. 4. Bileami Vaticinia votiva Num. 22. 23. 24. 5. Ultima Mosis, Testamentum notabile, Canticum patheticum, & Valedictio divinatoria Deuter. 31. 32. 33. 6. Niceterium carmen Deborah & Baraki Jud. 5. 7. Davidis Ode Eucharistica 2. Sam. 22. in nonnullis Pl. 18. accuratiori descriptione repetita. 8. Jesaïæ prænunciatio Liberatoris Cyri, supra 200. annos ante factum complementum prædicta Jel. 45. 9. Jeremiæ vaticinatio de captivitate 70. annorum Jer. 25. 10. Zachariæ excitatio ad pœnitentiam, propter Deum populo suo, Hierosolymæ, & templo reædificando reconciliatum Zach. 1. & 2. 11. Danielis Prophetia de Fatis Ecclesiæ novissimis c. 12. 12. Chabakuki poëma supplex pro restauranda afflictæ Zioni pace, Chabakuki capite 3. Hisce *sacrorum Librorum fragmentis* commemorabilibus, totam veteris fœderis œconomiam designantibus, adjunget deinceps integrum, longeque antiquissimum, sed & *arduo nervosq; styli poëtici genere* exaratum, metricisque accentibus distinctum *Jobi volumen*, institutum tale metaphrasticum præ aliis conflagitans. In ipsa vero *singularum Pericoparum* tractatione III. *Methodum* adhibebit hanc, *sui palmario* responsitantem, ut ubique 8. *Sensum* verborum & literæ transponat in vulgarem germanicum sermonem, nobis præ latino familiarem. 2. *Vocabula* dein *difficiliora* atque rariora, & in Jobo quidem cumprimis, juxta obviam significationem suam, ex versionibus accuratioribus, nec non Aramæa atque Arabica, Linguis cognatis, ut &, aliquando hic utilibus, *Kimchii* ac *Michlal Jophi notulis Rabbinicis*, pro occasione oblata explanet. 2. autem *vexata loca dubia*, &

& tam à metaphrasticis, quam interpretibus ad conjecturarum aleam ablegata, conabitur investigare & enodare *a.* juxta receptam usu Masoreticam punctationis & accentuationis *regulam*, *β.* Translationum lectiorum orientis atque occidentis *harmoniam*, *γ.* Antiquitatum sacrarum ab aliis collectarum *convenientiam*, & *δ.* Criticorum, subsellia priora occupantium, probabilissimam judicalem *sententiam*. *IV.* autem tres Collegii hujus partes, *theoreticam*, *exemplarem*, ac *practicam* non *continua* pertractabit *serie*, ut plane finita esse antea debeat tradenda versionum notitia, quam exponi possint capita indicata, dictoque evolvi modo: verum *libere* alteram distinguet altera, & præterea interdum *alia* etiam, quam in memoratis occurrunt capitibus, *Scriptura loca Versionum beneficio* illustrabit, tum reliquarum orientalium, supra non indicatarum, tum & occidentalium quarundam particularium recentissimarum, ex. gr. juxta *Le Longii* recensioem, Gallicarum Genevensium novarum, *Diodati*, *Maresii* & *Clerici*, nec non Germanicarum novissimarum, quasdam Veteris Testamenti portiunculas recens convertentium, videlicet *Seebachii*, *Kaiseri*, *Wachteri* & *Kortumi*. Habui autem hoc *Collegium Metaphrasticum* cum nonnullis quoad argumenta potissima Anno 1727.

IV. Lineamentum Collegii Polyglotti Orientalis Harmonici, & quidem Grammatico-Critici, ac Theoretico-Practici, nimirum, Hebraico-Chaldaico-Syriaco-Samaritano-Arabico-Æthiopici.

O *B multiplicem rerum* hic tractandarum *farraginem*, universe delineabit *N. IN GENERE*, & quidem *a. Orientalium V. Linguarum*, Hebraicæ filiarum, tum *Utilitatem* singularem, tum *Cognitionem* harmonicam, quam comprobabit & observationibus Criticis, & testimoniis classicis, ex *Pfeiffero*, *Hottingero*, *Crinesio*, *Sennerto*, *Chamberlaynio*, *Gerbaro*, *Nicolai*, *Castello*, *Schrædero*, *Schindlero*, *Waltono*, *Othone*, *Rambachio*, *Carpzovio*, *Schultensio*, *Majo*, *Hinckelmanno*, *Clerico*, *Altingio*, *Schafio*, *Cellario*, *Ludolfo*, *Nicholsonio*, *Wottonio*, *Wolffioque* producendis. *β.* *Specimen* præmittet universale *εξ αλλωτῆς* istius *αἰμωνας*, ex *Othone* inprimis corroboran-

bōrandum, in *Sectione Num. 17, 16-27. vers.* nec non in *tmematibus*
 nonnullis Cap. I. Gen. ex ejusdem Palæstra Linguarum OO. כ. in SPE-
 CIE repræsentabit istarum *V. Linguarum faciem*, ab hebrææ lineis
 haud prorsus abludentem, & quidem *I. Chaldaicam* ita tractabit, ut
1. ejus *necessitatem, utilitatem ac facilitatem* proponat, ac analogiam
 grammaticæ, *Schickardi* Hebraicæ consentaneam, & in praxi mox ap-
 plicandam, prius significet ex *Gerhardo, Hottingero, Sennerto, Ni-*
colai, Altingio, Starckio, Michaële, Buxtorffio, Opitio, Schafioque.
 Hanc ipsam vero confirmet *2. exemplis Dialecti Aramaea, α. Babylo-*
nica purioris in Capite V. Danielis: *β. impurioris* in XX. Cap. Exodi
 Targum Onkelosi ac Jonathanis: *γ. Hierosolymitanæ* in Hierosol. Tar-
 gum Cap. I. Genes. & *δ. Talmudica* in Gemara C. XI. Sanhedrin, §§is
 quibusdam de Messia. Unde & *3. Targumim* istorum, diversæ æta-
 tis atque autoritatis, qualitatem ac usum Christianum declarabit ex
Wolffio, Reimmanno, Allixio, Schickardo & Carpzovio. Tum *II. Sy-*
riacam sic tradet, ut *1. Commoda* ejus varia pandat, non modo in V.
 Test. Versione, sed imprimis in N. Test. translatione, ob veneran-
 dam antiquitatem suam, auctoritatem etiam luculentam adepta, te-
 stantibus *Waltono, Pfeiffero, Gubierio, Danzio, Schafio, Hottinge-*
ro, Sennerto, Reineccio, Raithio. Dein *2. propinquam* ejus cum
 Hebraica & Chaldaica convenientiam in *grammatica affinitate* osten-
 dat, ex iisdem fere auctoribus, maxime *Buxtorffio & Schafio.* Ad
 ipsum vero *exercitium* ejus seligat *3. Pericopas* hæc: *α. Cap. 2. Gen.*
ex Othonis Palæstra: β. Matthæi C. V. prima in *Gubierii* Editione,
 ut & *Epistolam Pauli ad Philemona, & Judæ:* tandem *γ. Amœbæas*
duas Literas Mosis Mardeni & Andr. Masi ab *Andrea Mullero Greif-*
fenhagensi editas. Porro *III. Samaritanam* hoc pacto percurrat, ut *1.*
 præmoneat quædam critice, de *Samaritanorum & gente, & lingua,*
 & translatione Pentateuchi Samaritana; cum primis autem de *Penta-*
teucho Hebraico, literis tantum Samaritanis descripto, & hujus qui-
 dem tum origine, usuque genuino, tum pessimo *abuso critico Mo-*
rini, Cappelli, Vossii, Clerici, Simonii, & Whistoni: contra hos in
 aciem producturus *Hottingerum, Buxtorffium, Waltonum, Calo-*
vium, Pfeifferum, Cellarium, Reimmannum, Wasmuthum, Wolf-
fium, Carpzoviumque, & ex horum maxime postremo, recens gypso
 oblita

oblita atque incrustata *Whistoniana Pseſdo-Critica* argumenta labefactabit atque deſtructum ibit. Mox 2. etiam *typum conformationis grammaticæ*, ob vocalium abſentiam in hac Dialecto ſpeciatiſſimè neceſſariæ, attamen ex præcedanea Hebrææ atque Aramææ Linguæ harmonia facili opera conſecturandæ, & eum quidem *prioribus Orientis Idiomatibus* conſentaneum ob oculos ſiſtat, potiſſimum ex perfectis *Cellarii Horis Samaritanis*, nec non ex illius epitomatoris, *Othonis* puta, Synopſi omnium LL. OO. Dein 3. *Lingua ipſius conſuetudinem* reddat familiarem α. in *Othonis Palæſtræ Capite III. Genef. β. in Cellarii excerptis* potiſſimis Translationis Samaritanæ: & γ. in *Oratione Samaritana manuſcripta*, ab ipſomet una cum Rabbinico-Talmudica atque Arabica A. 1725. coram *Illuſtri viſitatione Stipendii* ex memoria recitata. Ulterius *IV. Arabicam* hac via explanabit, ut 1. *Uſum* illius patentiſſimum, in Biblico Hebraiſmo plurimum perficiendo, in *Verſionibus Scripturæ*, & aliis Orientalibus ſcriptis conferendis, & *Corani* potiſſimum ineptiis dignoſcendis ac refellendis, ex *Pfeiffero, Hottingero, Waltono, Hackſpanio, Carpzovio & Hinckelmanno* adſtructum eat. Dein 2. *Designationem Grammaticæ harmonicæ* repræſentet ex *Sennerto, Hottingero, Erpenio, Othone, Gerhardo, Schrædero, Majo, Clodio, Wasmutho ac Schiferdeckero*. Ad exercitationem linguæ utiliſſimæ 3. ſeliget *textus*, tum Sacros authenticos, & ex V. T. quidem Genef. c. 4. in *Palæſtra Othonis*, ex novo autem *Erpenii* Testamento, *Epistoſas Judæ, Philemonis, & Johannis*; tum etiam *Pſeudo-canonicos Muhammedis, Suras* videlicet *Alcorani* 1. & 61. ut & 25. ultimas, paucis modo verſibus conſtantes, & ſe non quidem *re ac perſpicuitate*, *Styli* tamen ſingulari elegantia commendantes, *materiæ* autem futilitate illico refutantes. Porro *Mateologia Muhammedica conſpectum* delineet ex ipſis *Corani* locis evolutis, exemplo prælucentibus, *Calvario, Schrædero, Raithio, Baurio, Hackſpanio, Marraccio, Schwarzio, Pfeiffero, Relando, Nerretero, Langio* atque *Reineccio*. *Suratarum* quoque 5. nonnullarum verſiones, ab *Erpenio, Golio, Niſſelio, Hottingero* ac *Zechendorſſio* datas, & à *Pfeiffero* in *Theologia ſua Muhammedica* adductas examinet, & ad archetypum textum ſuum Arabicum propius exigat. Et 6. denique enucleet *duas Proverbiorum Arabicorum Dicurias*, ex duabus *Scaligeri* atque *Erpenii* centuriis ſelectas, ut lo-

cupletes testes, & antiquæ Arabum Sapientiæ, & copiosissimæ ipsorum cultissimæque Dialecti, & elegantissimæ eorundem Poësis Rhythmica. Postremo etiam *V. Ethiopicam*, Arabicæ cum primis affinem, succincte ita degustabit, ut 1. *Abyssinorum* & Linguam, & fidem, & biblicæ eorum translationis historiam critice excutiat, sapiens ex scriptis *Ludolfi*, *Waltoni*, *Pfeifferi*, *Othonis*, *Hartmanni* & *Carptovii*. 2. *Compendium* etiam ex ipsis istis auctoribus proponat atque derivet grammaticum, reliquarum Orientis Linguarum analogiæ plerumque respondens. 3. Tertio autem *speciminis* gratia explicet in ea a. *Geneseos* Cap. IV. ab Othone etiam editum: *B. Davidis* 3. *Psalmos* primos, Arabicis *Wichmannhausenii* harmonicos, ad utriusque linguæ propinquitatem cognoscendam: *γ. Hymnos* quosdam ac orationes aliquot *Vet. & Nov. Testamenti*, cura *Jobi Ludolfi* cum *Psalterio* ejus æthiopico editos, e. g. *Mosis canticum* *Deut. 32. Precationem* *Prophe-tæ Jonæ* c. 2. *Orationem Christi* *Matth. XI, 25-30.* *Mariæ jubilum* *Luc. 1, 47-55.* *Eucharisticum Zachariæ* *Luc. 1, 68-79.* *Cantionem cygneam Simeonis* *Luc. 2, 29. 32.* ut & *δ. symbolum* Christianæ fidei, ex *Liturgiis Æthiopum* desumptum, & à *Nisselio* atque *Petræo* versum. 4. Post absolutam vero uniuscujusque recensitarum *V. harum Linguarum tractationem*, & *criticam*, ejus habitum ad fontem hebraicum dispicientem, & *grammaticam*, propinquam illius vel remotam cum *Hebræa* Lingua convenientiam evolventem, & *practicam*, ejus facilitatem in propositis textibus sacris germanice convertendis usu comprobantem, & *analyticam*, ipsius vocabula ad cognitatas ex grammatica orationis partes propriasque suas origines ordine referentem; post *synopticam* hujusmodi evolutionem cujuslibet Linguæ talis Orientalis, *syntheticum* etiam in istarum unaquaque *exercitium* juvabit instituire, ex indole cujusvis nativa, & praxi modo confirmatis phraseologiarum exemplis, *imitationem* levi opera expressurum, huic consulens instituto: ut *quanta* sit omnium illarum Orientis Linguarum *vicinitas*, & *quam propinqua*, tam in literarum figuris, quam in vocum formis, & vel maxime in *Idiotismorum* etiam generibus, *earundem cognatio*, *conjunctio*, & *familiaritas*, imo *necessitudo* quoque, quilibet praxi propria & experimento præsentis capto, suisque scripto manibus, liquido deprehendere queat. Tandem *γ. appendicis loco* tum curiosæ tum fru-

Stuo-

fluosæ, hisque materiis consentaneæ, ad commonstrandam non Orientis modo, sed Occidentis etiam Linguarum præcipuarum harmoniam mutuamque concordiam ob oculos sistet *I. Orationem Dominicam* in diversas omnium fere orbis gentium Linguas conversam, & propriis ejusque Linguae characteribus expressam, *Chamberlaynio* editore; ubi in prælectione notiorum Idiomatum aliisque connexorum aliquo affinitatis vinculo, ex combinationum regulis nonnulla præmittet ac præmonebit. Dein vero *II. consideratis universi mundi Linguis* adeo diversis, plurimis tamen sæpe in unum mirabili consensione conspirantibus, & recensitis *potioribus observationibus Eruditorum* hocce argumentum illustrantibus, tum *anterioribus*, *Buxtorffii*, *Crinesii*, *Hottingeri*, ac *Pfeifferi*, tum *posterioribus ac recentioribus*, *Nicholsonii*, *Leibnitii*, *Wottonii*, *Wilkinsii*, *Relandi*, *La Crozii*, *Schræderi* & *Jonesii*, probabiles formabit *Canonas* criticos de Linguarum universi origine, confusione, numero, affinitate, mutabilitate, prærogativis, discendi facilitate atque duratione. Denique *III. divinum exaggerabit Beneficium*, quod exorta & perdurante in mundo *ἑλωτισσοσυγχυσῆ*, Ecclesiae concessit Deus olim & nunc, ut in *plures, etiam ignotas*, Scriptura sacra transferretur *Linguas* in toto orbe, & nunquam deessent, qui *novis* quoque *Translationibus* sensum verbi divini accuratius exprimerent, fontiumque à rivulis discrimen ostenderent oppido magnum. *Collegium* hocce *abs me expetitur à peregrino Theologiae studio* aperui anno superiori 1728.

V. Exemplar Collegii Rabbinici Theoretico-Practici,

in quo

præceptis pariter atque *exemplis* commonstrabit, quale & quantum ex *Rabbinorum* scriptis, juxta *IV. Studii Rabbinici Gradus*, *I. Masoreticum*, *II. Peruschiicum*, *III. Talmudicum* & *IV. Kabbalisticum*, methodico ordine à scito ac literato *Hebraophilo* etiam degustandis, *emolumentum & criticum & exegeticum* percipi atque transferri possit, ad illustrandam *Philologiam sacram*, & confirmandum *Scripturae divinae sensum*, tam *literalem* quam *mysticum*.

Hic

Hic vero I. præmitteretur *Protheoria*, a. de necessario integri Curfus Philologici Orientalis *intervallo* hocce *Rabbinico*, juxta IV. *Gradus* modo indicatos: & B. de *Quadruplici* *Scriptorum Rabbinicorum Usu*, Grammatico, Exegetico, Elenchtico atque Historico, adductis capropter pollentibus suffragiis *Buxtorffiorum*, *Schickardi*, *Hacksanii*, *Lightfooti*, *Schmidii*, *Edzardorum*, *Cocceji*, *Wagenfeilii*, *Relandi*, *Carpzoviorum*, *Pfeifferi*, *Zelleri*, *Reimmanni*, *Majorum*, *Eisenmengeri*, *Surenhusii*, *Glassii*, *Bashuyfeniorum*, *Calovii*, *Hottingeri*, *L'Empereurii*, *Sheringhamii*, *Danzii*, *Hardtii*, *Merceri*, *Seldeni*, *Keuchlini*, *Dachsi*, *Crameri*, *Disenbachii*, *Viringæ*, *Braunii*, *Witsii*, *Geieri*, *Dassovii*, *Frischmuthi*, *Othonis*, *Varenii*, *Mayeri*, *Pfaffii*, *Wolffiiq;*, variis in *Tractatibus*, aliquem usum istorum 4. nominatorum, diversa tamen ratione, probantibus. Porro II. *Specimina* ad *Bibliorum Hebraicorum* intelligentiam faciliorem selecta, ex *singulis IV. gradibus* istis, una cum eorundem delineatione exhibebit: Et quidem N. *MASORAM*, pro instituti ratione, in scenam producet, antiquam illam *Hebræorum Criticam*, plenius olim, nunc modo partem, *Biblicis exemplaribus* accuratis adscriptam, quam sic declarare hic studebit, ut 1. *Ideam brevem Theologiae Masoreticae* repræsentet, vocatis in curarum partem *Buxtorffio*, *Waltono*, *Simonio*, *Wolffio*, *Pfeiffero* atque *Reimmanno*. Dein 2. auditis his ipsis, suppeditet *observationes Historico-Criticas*, *Terminologico-didacticas*, & *Censorio-Therapeuticas*, *Cel. Buxtorffii Tiberiada* præ reliquis consulens, ad solvendas probabiliter *questiones*: A quibus, qua forma, quo fine, quo tempore, quove successu præsens contexta sit *Masora*? & quanam vel maxime sententia *de punctis vocalibus atq; accentualibus*, nec non variantibus *Bibliorum Lectionibus Criticis*, palmam alii præferre videatur? ex mente tum *Buxtorffii*, tum *Cappelli* partes sequentium; ex altera parte *Wasmuthi*, *Calovii*, *Pfeifferi*, *Glassii*, *Waltheri*, *Daseri*, *Carpzovii*, *Wolffii* &c. nec non ex altero latere *Simonii*, *Clerici*, *Morini*, *Grotii*, *Vossii*, *Cotta*, *Scaligeri*, *Merceri*, *Amama*, *Waltoni* &c. Sic & 3. *Masora* ipsius & *parva* & *magna* & *maxima* cognitionem exerceat in *Geneseos cap. 1.* *Obadiæ Prophetia*, & *Pf. 18. coll. 2. Sam. 22.* Tandem 4. brevibus tangat quoque *singularia* ejus sparsim occurrentia: a. de insolenti ac irregulari *vocum* *scriptione*, ubi varie diffe-

differentia deprehenduntur *Karjan Vechatban*. β. de *Literis* extraordinarie scriptis, vel majusculis, vel minusculis, vel inversis, vel suspensis. γ. de inconstanti atque anomala *vocalium, accentuum, Dageschi, Mappik & Raphe* notatione. δ. de particularibus *Locis, Piska, Tikun* vel *Ittur Sopherim* habentibus, vel *puncta ignota* superne imposita gerentibus, vel in *Sebhirin* numero relatis, & *Criticorum censura* ab antiquis, aut potius saepenumero à recentioribus subjectis: ubi quidem aliorum de dubiis hisce capitibus recenserebent sententiam, suam dein *επιχειριον moderatam* cum cautelis necessariis adjuncturus, collatis potissimum auctoribus, *critico Masora studio* excellentibus, eamque pro hypothesebus suis privatis, publice scriptis quoque explicantibus, *Buxtorffius, Cappello, Jablonsky, Calovio, Glassio, Amama, Pfeiffero, Wasmutho, Læscherio, Michaële, Danzio, Hillero, Pfaffio, Wolffio* atque *Carpzovio*. Deinceps 1. PERUSCHIM evolvet, vel *diversos Rabbinorum Commentarios*, Scripturam explicantes, aliosque eorum Libros inspectione dignos. Hic autem 1. *Epitomen* dabit presentis *Theologia Rabbanitica*, traditionibus mirificis adauctæ, & ex *Eisenmengero, Majo, Buxtorffio, Pfeiffero, Wolffio* atque *Reimmanno* delibandæ. 2. *Rabbinorum*, commentariis librisque præstantioribus clarorum *vitas, scripta*, propriumque *characterem* designabit, nimirum *Farchii, Kimchii, Gersomi, Abenesra, Saadia, Salomonis ben melech*, & potissimum principis eorum *Abaranelis*, ubi non poterit non consulere *Schickardum, Buxtorffium, Bartoloccium, Wolffium* &c. 3. *Conspectum* formabit *Rabbinica Grammatica*, quoad *scriptionem & lectionem* sine vocalibus, *vocum signa abbreviandi methodum*, ac frequentiorum *vocabulorum usum*, sequens *Relandum, Genebrardum, Cellarium, Drusum, Pfeifferum, Danzium & Buxtorffium*. 4. *Rabbinos* ipsos in scenam producet commentantes in *Capita Gen. 3. de Lapsum Adami, Gen. 17. de circumcissione, Ex. 12. de Paschate, 2. Sam. 7. collato 1. Chron. 18. de Davide & Salomone, Psalmum 2. 22. & 110. de Christi statibus, Jel. 53. de ejusdem Passionibus ac Gloria, Jerem. 49. & Obadiam de Edom, in cujus explicatione nos Christianos graviter pungere consueverunt, & Haggai C. 2. de templo reædificando, ac Messia sub eodem adventuro: imprimis Abaranelem* dabit *deplexum*, cum suo *Prophetarum oracula* excellentissima

pervertendi principio, quod *Tertia* eaque perfectissima Judæorum ad-
 huc instet *Liberatio*, ex toto terrarum orbe eos in Terram suam redu-
 ctura, tandem se manifestante ipsorum *Messia*, augustissimique Tem-
 pli tertii ædificationem curaturo. Hic quidem dabitur nonnunquam ad-
 ire & conferre Locorum quorundam *Versiones*, à *Mercero*, *Breithau-*
ptio, *Buxtorffis*, *Majo*, *Cellario*, *Scherzero* ac *Relando* adornatas;
 plurimum vero ipsemet in *Tmemata* proposita, *Abarbanelis* maxime &
Michlal Fophi, nec non *majora Buxtorffii Biblia Rabbinica* isagogi-
 cam præbebit *Chiragogiam*. Tandem & 4. alia quædam loca, non-
 nulla *Judaicæ* gentis fata, ac *principia*, vel *liturgica*, vel *ritualia*,
 vel *historica*, aut *elenctica*, hic ibi illustrantia, interdum præleget
 ex *Josepho Gorionide*, *R. Lipmanni Nizzachon*, *R. Isaac Chissuk amu-*
nah, *R. Jehudah Cosri*, *R. Abraham b. Dior Zicron*, & vel maxime
Seder Tephillos miccol hasschanah. Postea 2. TALMUDEM, seu, *Cor-*
pus Juris & canonici & civilis, *Judeis Traditionariis* sacri, ante
 oculos statuet, propriisque in *Tomis* suis plurimis, ex *Universtatibus* no-
 stræ Bibliotheca ab *Exc. Prof. Klemmio*, ejus curam gerente, mihi com-
 modatis, cognoscendum dabit. Nimirum *α. Definitionem* ejus ac *Di-*
visionem, totamque *œconomiam* singularem, propter *Rabbinicam*
 allegandi rationem scitu necessariam, breviter delineabit, una cum
 bene distinguendis doctoribus præcipuis, vel *mischnicis* vel *gemaricis*,
 consultis hic *Buxtorffio*, *Voisinio*, *Reimmanno* & præcipue *Wolffio*.
β. Principia Talmudistarum *generalia*, methodumque logicam, for-
 mulasque citandi, disputandi ac colloquendi, singulares pariter & diffi-
 ciles, & occidentalibus inusitatas, partem repræsentabit ex *L. Empe-*
reurio, *Bashuyfenio*, *Buxtorffio* ac *Surenhusio*, *Wolffio*q. *γ.* In medi-
 um proferet *speciminis* loco, *Textus* quosdam *Talmudicos*, in ipso
Talmudis systemate evolvendos, sed ex obvia primum *Christianorum* ver-
 sione interpretandos. Ex. gr. *Pericopas* de *Messia* venturo ex *Cocceji* *San-*
hedrin, de *Jom Haccippurim* ex *Sheringhamii* *Joma*, de uxore adul-
 tera ex *Wagenseilii* *Sota*, de *Sabbatho* ex *Schmidii* *Schabbat*, de *Pa-*
trum Apophthegmatibus ex *Lehmanni* *Pirke Avoth*; de dubiis quibus-
 dam ex antiquitate *Talmudica* declarandis *Novi Testamenti* *Locis*, ex
Lightfooti operibus, nec non de jure regio ex *Schickardi* *Mischpat*,
 de *Scripturæ integritate* ex *Sepher Torah* *Maimonidis*, ab *Henr. Jac.*
van

van *Bashuyfen* notis egregiis illustrato, de Bibliorum antiqua & scriptura legitima, & lectione Legis necessaria, studiique Biblici usu ac præstantia ex Tractatu Talmudi annexo, *Massachet Sopherim*, à me data occasione, propter reconditum in eo antiquitatis thesaurum, cum versione criticisque observationibus publicæ luci primum sistendo. Dein 5. post istos *Talmudis* articulos, eximia Judæorum testimonia producentes, & Christianis variis in capitibus impense utiles, jam cognitum multorum, Talmudis particulas quasdam vertentium, speciminibus; ipsemet, in nondum translatis quibusdam *Gemara pericopis*, exemplo prælucebit *Rabbinica Archaeologia amatoribus*, qua via & ipsi, *Surenhusio* ac *Buxtorffii* comitibus adjunctis, Literarium istud plurimorum desiderium adjuvare queant, ut integra aliquando in republica literata extet *Gemara translatio*, Bibliis sacris multum lucis interdum fœneratura. Porro 6. *Systema* compendiarium totius *Metaeologia Talmudica* strictim adumbrabit ex *Reimanno*, *Wolffio*, *Buxtorffio*, ac *Pfeiffero*, inprimis horrendas contra Christum, Mariam, Apostolos, Evangelium & omnes Christianos in Talmude effusas calumnias detegget, iisdem auctoribus una cum Edzardo etiam collatis. Hinc perget 7. ad KABBALAM, sive occultam Judæorum Scripturas explicandi atque applicandi rationem. Hic 1. *Kabbala* recenset *Historiam*, naturam, variosque modos, generatim ex *Pfeiffero*, *Raitio*, *Carpzovio* atque *Wolffio*. 2. *Artificialem theoreticam* tractabit, exemplis è *Pentateucho* desumptis, ubi *Baal Turim* ad Messiam plurima applicat loca, juxta tres istius species, *Gematriam*, *Notarjekon* & *Temuram*: ex quibus alii oriuntur speciales modi, qui, cum primariis istis tribus generibus conjuncti, *tredecim* efficiunt modos illos, quos ad abditos Scripturæ sensus eruendos *Kabbalists* adhibent, teste *Menasse ben Israël* in *Conciliatore* in Exod. qu. 50. *Pfeiffero* etiam eosdem recensente. 3. *Symbolica antiqua*, genuina illius *Kabbala*, & *Traditionis exegetica*, juxta Celeberrimos viros, *Glassium*, *Waltherum*, *Pfeifferum*, *Carpzovium*, *Buddeum*, *Cuneum*, *Vitringam*, *Rittangelium*, *Allixium*, *Altingium*, *Voisinium*, *Meelfubrerum*, *Disenbachium*, *Knorrium*, *Bashuyfenium*, *Hackspanium*, *Waltonum*, *Scherzerum*, *Pfaffium*, & *Wolffium*, in Ecclesia Judaica olim usque ad Christum vigentis, multasque veritates arcanas, typorumque, & ceremoniarum,

rum, & oraculorum, Messiam promittentium, expositionem clarior-
 rem sensumque mysticum propagantis, specimina quædam afferet, tum
 ex sacris literis, maxime epistola ad hebræos & Apocalypsi, nec non
 quibusdam Vet. Test. apocryphis, Allixio facem hic præferente, tum
 & ex *Cabbalisticis libris Sohar & Rabboth, Woltersio*, in Bibliotheca
 Bremensi, quibusdam locis doctrinam de SS. Trinitate & Messia il-
 lustrante. 4. *Asymbolica*, in multis ex Philosophorum antiquorum
 placitis defumtæ, vel saltem adauctæ, argumenta excutiet nobiliora,
 de X. *Sephirot & Arbore Cabbalistica*, de *quadruplici mundo*, Azi-
 lutico, Briatico, Jeziratico atque Asiatico, de *Attributis Divinis*,
 & de *Angelorum* bonorum ac malorum nominibus & ordinibus, ex
Buddeo, Wolffio, Calværio, Reimmanno, Pfeiffero, & Pordagio,
 ejusque interprete ac editore. Porro 5. *Practica*, *superstitiosæ illius*
 & *malitiosæ*, & ad magicas fraudes declinantis, quasdam allega-
 bit formas, & describet Abusum Nominum Divinorum ad miracula
 paranda, *Davidis scutum* ad incendia restinguenda, *Amuleta* varia
 ad morbos depellendos, figmenta *Angelorum tutelarium*, & modos
 expellendi Aſchmodæum aliosque genios malos, consultis ideo talia
 congerentibus, *Majo, Uffenbachiana* recensente Mſcripta, *Zellero,*
Schickardo, Pfeiffero, Eisenmenger atque *Schudtio*. Denique 6. di-
 versa *Christianorum* de variis Kabbalæ speciebus *judicia* indicabit, illo-
 rumque cum cautelis probabit sententiam, qui usum ejus esse affir-
 mant, & hermenevticum, & dogmaticum, & elenchticum, & histo-
 ricum, *Wolffio* potissimum audito. Hisce subjunget ultimo *appendi-*
cem duplicem, Rabbanicæ Theologiæ affinem. Scilicet *α. Karaiti-*
cam delineabit *Theologiam*, Rabbinicæ plurimum adverſantem, ubi
Karæorum originem, sententias potiores, scripta atque fata exponet,
Wolffii maxime conferens notitiam Karæorum, nec non evolvens *Tri-*
glandium, Reimmannum, Carpzovium, Relandum atque *Buxtorf-*
fium. Deinde *β. Tabularum Talmudis* atque *Alcorani* *mutuum osten-*
det consensum, ex utriusque collatione, in biblicis quibusdam historiis,
 ut & traditionibus fabulosis, e. g. de Abrahamo in ignem à Nimrodo
 conjecto, sed à Deo mirabiliter servato, de Diabolis Salomoni operam
 suam in exſtructione templi commodantibus, & de Israëlitis ad Le-
 gem accipiendam per evulsum ipsisque imminentem Sinai montem
 coactis:

coactis : Ubi in subsidium vocabit Pfeifferum , Marraccium , Nerret-
 erum , Reineccium & Buxtorffium. Tractavi has materias in Collegio
 A. 1727. & 1728. cum paucis habito.

VI. Sciagraphia Collegii Critici, Theoretico-Practico-
 Elenchtico-Literarii,
 Orthodoxum ac pium Vet. Test. Criticum
 formaturi.

Præmittet hic I. Critici studii in genere , tum profani , tum sa-
 cri Representationem , & α. nomen Critici atq; Criticæ , defini-
 tionem , divisionem , originem ac necessitatem , periodos va-
 rias , canones primarios , causam contemptus ac neglectus , usumque
 & abusum breviter proponet , dein β. hæc ipsa Capita ad Criticam Sa-
 cram in specie applicabit , eaque pertractabit ex Stollio , Clerico , Pfaf-
 fio , Klemmio , Menckenio , Heumanno , Majo , Pfeiffero , Ramba-
 chio atque Carpzovio. Postea II. pertractabit in PARTIBUS IV. OF-
 FICIA PRIMARIA ORTHODOXI CRITICI VET. TESTAMENTI
 ATQUE RELIGIOSI , utpote qui 1. PRÆNOTIONES de Textu
 Archetypo & Versionibus Ectypis scire , atque sartas & tectas conser-
 vare , 2. ORGANA atque subsidia critica , tam interna , quam exter-
 na intelligere ac dextre applicare , 3. PRÆJUDICIA & πρῶτα ἰδίη
 cum antiquiorum , tum recentiorum Pseudocriticorum cavere & refu-
 tare , & 4. MERITA atque laudabilia Exempla Gniso-criticorum , cum
 moderno apparatu critico , nosse & in succum ac sanguinem converte-
 re debet. Eapropter N. Sectione THEORETICO-DOGMATICA ,
 finem Critici objectivum , & primum & secundarium considerabit ,
 & Prænotiones Criticas , seu cardinales Anticipationes veritatum de fon-
 tium authentia ac puritate , & versionum dependentia ac imperfectio-
 ne , omnium primo & quasi critica antecessionis loco probe custodi-
 endas , propinabit ex Glassio , Walthero , Læschero , Calovio , Pfeiffero ,
 Hottingero , Wasmutho , Buxtorffio , Rambachio , Leusdenio , Wolffio
 atque Carpzovio. Ubi I. circa AVTHENTICAS VET. TESTAMEN-
 TI TABULAS , de Canone Biblico Hebraico , Lingua Originali He-
 bræo-Chaldæa , & Stylo Scriptorum Sacrorum Divinoaget ; & α. Co-
 dicis Hebræi originem ac θεοπνευσίαν divinam , Authentiam & Auctori-
 tatem

tatem canonicam, *Integritatem* quoad sensum intemeratam, in melioribus & *MSctis* & *impressis codicibus* omnium temporum, & antiquam Divisionem Masorethicam expendet: *β. Lingua* Hebraicæ antiquitatem primævam, indolem egregiam, dignitatem variis prærogativis excellentem, & constantiam in elementis literalibus, punctisque vocalibus & accentualibus fere invariata, Masoræque cura multum conservata à labe demonstrabit: & *γ. Styli sacri certitudinem*, simplicitatem, Efficaciam, Evidentiam, Plenitudinem, Brevitatem, Verecundiam atque Proprietatem, & *positionibus & exemplis* illustrabit. Porro in hac *I. Parte* agere debet *II.* circa VERSIONES ad exemplar Prototypum efformatas, de earundem natura, diversitate, virtutibus atque vitiis, usu genuino & necessario, & abusu critico, ex Pfeiffero, Calovio, Glassio, Hottingero, Leusdenio, Buxtorffio, Huetio, Le Longio, Simonio, Franzio, Zeltnero, Mayero, Franckio, Raithio, Waltonio, Reimmanno, Kortumio, Wolffio atque Carpozovio. Notabit igitur *α. Charisma translationum* omnium, ipsis tamen fontibus neutiquam vel præponendum vel æquiparandum. *β. Discrimen* insigne *Versionum* indicabit, & veterum Ecclesiarum & recentiorum, & vernacularum & eruditarum, Chaldaicarum, Græcarum, Latinarum atque Germanicarum, aliarumque ad has conformatarum, vel cum his propius consentientium. *γ. Pretium* singulis justum constituet, imprimis nostræ *Lutheranæ*, magni quidem æstimandæ, at Fonti nequaquam calculo pari ad latus ponendæ. Sequetur *3. SECTIO PRACTICO-EXPERIMENTALIS*, quæ debet exponere *formalem Critici sinem*, qui est *verus Sacri Textus*, sive in Lingua authentica & originali, sive in bona translatione quacunque evoluti *Sensus*, per *media critica* tum interna, tum externa ab interprete obtinendus. Trutinabit eapropter hic *I. ORGANA CRITICA INTERNA*, quæ innatum verbi divini sensum, & verbalem, & literalem, & mysticum, ex Harmonia Scripturæ perpetim parallela, divinaque & grammatica, & rhetorica, & logica, jugiter derivare tenentur: ubi exemplis comprobabit, tum ex Franzio, Calovio, Dorscheo, Franckio, Michaële, Glassio, Lütkenio, Schmidio, Walthero, Læschero, Geiero, Tarnovio, Pfeiffero, Starckio, Gebhardi, Deylingio, Marckio, Coccejo, Hasæo atque Lampio, eorumque vel Libris propriis,

priis, vel excerptis fidelibus, tum & ex sua ipsius Lectione & observatione Biblica depromptis, atque ad alia loca felicemque praxin hodiegi loco inservientibus; quod *α. Symphonicus Scripturarum concertus*, ac Parallelismus verbalis & realis continuus, veræ ac pie criticæ exegeteos primum debeat esse Principium: & *β. Ecclesia Christi scripturaria*, tantum *grammatica* esse obligetur, & curate attendere ad emphaticas sanctioris Spiritus ejusque amanuensium & voces, & phrasas, & idiotismos, & distinctiones, nihilque parvi pendendum in revelatione: quod *γ. Rhetorica biblica* possideat singularem dicendi characterem, & in proprio & in figurato sermone, affectumque spiraret peculiariter indagandum: & *δ. Logica sacra* ideas ac propositiones bene digerat, causarum doctrinam, haud statim obviam, ex locis parallelis explicet, apparentes *εὐαλιόφανεας* pugnantes dextre, quoad potest & necessum, resolvat, & Accentuationis nobilissimæ, nec hominum sequiorum excogitationi facile tribuendæ, beneficio maximo singulas Periodos accurate interpreti disponat. Dein progredietur in parte hac *γ. da*, ad EXTERNA ADMINICULA II. contemplanda, quæ Sensum Scripturæ, organis forte internis nondum plene detectum, vel ulterius illustrandum, declarant uberius, ex *cognatis Linguis Orientalibus* aut *occidentalibus*, ac *versionibus* in his ipsis conscriptis, ex *Rabbinorum* scriptis, *antiquitatibus* sacris, atque *Commentariorum Christianorum* suffragiis: ubi præter supraallegatos auctores, *Raithium, Majum, Amamam, Allixium, Clericum, Lightfootum, Cappellum, Witsum, Vitrinam, Buxtorffium, Schultensium, Hackspanium, Lundium, Polum, Grotium, Relandum, Goodwinum, Altingium, Piscatorem, Kortumium, Hillerum, Tossanum* ac *Wolffium* adhibebit in consilium, atque ex iis in selectis edocebit locis: quod *1.* haud vane sæpius conferantur *Metaphrasæ OO.*, imprimis *Targumim* diversi generis, *Onkelosi, Jonathanis & Josephi*, nec non *Versiones Græcæ*, maxime *70' viralis dicta, & Vulgata Latina*, aliæque ad latinas, germanicas, & plurimorum vernaculas ex fontibus correctas referendæ: *2.* quod *Rabbinorum & Grammatica, & Peruschica, & Talmudica, & Kabbalistica, & Karaitica scripta*, ob lucem ipsi sacro textui interdum inferendam, & ob vindicanda non raro biblica oracula, & ob Judæos ipsos aut convertendos, aut saltem convincendos jure cum fructu

fructu evolvi possint : 3. non spernenda multoties sint *adminicula Archaeologica*, ex antiquitatibus & sacris, & profanis, historicis, geographicis, genealogicis atque chronologicis, vel & disciplinis realibus philosophicis, alia olim methodo tractatis, nonnulla subsidia quandoque derivantia : & porro 4. quod *commentariorum* à Christianis editorum, & nunc integros Libros, nunc quosdam eorum articulos explicantium, suaque adjuncta critico-exegetica, aut *paraphrasibus*, aut *observationibus*, aut *onomasticis*, aut *hierophycis*, aut *miscellaneis syntagmatibus*, aut *colleclaneis exegeticis* proponentium vota polentia atque suffragia majora saepe numero investigandum sensum adjuvent. Dein transibit à. ad PARTEM ELENCHTICO-THERAPEUTICAM, Hostesque Gnisio-criticorum & in suis Principiis, & in deductis inde Interpretationibus falsis cognoscendos atque redarguendos sistet, censoriis criticorum virgulis mulctaturus atque obeliscis jugulaturus *Principia ac Fundamenta Pseudocritica*, quæ vel aperto Marte aciem instruunt, vel per cuniculos agere tentant ; & nunc ipsas *palmarias* de Vet. Test. & Canone & Lingua & Stylo conservandas *Prenotiones* labefactatum eunt ; nunc *debitum ordinem*, inter *textum* originalem atque *translationes* cum antiquas tum recentiores, accuratis limitibus constituendum, perturbant & invertunt ; nunc *posthabitis* primum adhibendis *adminiculis criticis internis*, & Scripturæ innatis, solum *externis* indulgent *mediisque literariis* nimirum inhærescunt ; nunc omnia conjecturis suis censoriis subjiçunt, atque *licentioso dente suo critico* libere circumrodendi potestatem sibi attribuunt. Hic ergo non poterit non ante oculos statuere *Cappellum*, *Grotium*, *Waltonum*, *Morinum*, *Scaligerum*, *Vossium*, *Pezronum*, *Maslesum*, *Meibomium*, *Clericum*, *Hardium* atque *Whistonum*, singulorumque & *characterem* proprium delineare, & *hypotheses* privatas liberiores examinare, & *loca quaedam* ab iisdem licentius tractata vindicare ; una adjecto interdum rectius sentientium *criticorum calculo*, qui maximam partem allegatos ante Pseudocriticos jam graviter depexos dederunt, & genuinæ Criticæ Philobiblicæ patrocinium mascule susceperunt, primaque inter mox nominandos subsellia jure occuparunt. Hinc perget 7. ad SECTIONEM HISTORICO-LITERARIAM, quæ ad confirmandam magis probam *Praxin Criticam* producet in scenam potiora

Lumi-

Luminaria atque Ornamenta Gnifio-Critica, quæ, ut omnem cordatorum Criticorum mensuram adimplerent, enixe elaboraverunt, & summum pleraque fastigium conscenderunt, jam *principia* genuina è tenebris in lucem revocando, jam *versionum* quarundam virtutes ac vitia demonstrando, jam *præjudicia ac p̄pola* Ψ&Δη adversariorum infirmo, jam *loca quadam Scripturæ* ex subsidiis atque adjunctis criticis illustrando. Spectant autem huc præ aliis jure præcipuo, *Origenes, Hieronymus, Flacius, Glassius, Franzius, Buxtorffii, Was-muthus, Calovius, Waltherus, Hottingerus, Le Longius, Pfeifferus, Amama, Vitringa, Relandus, Witsius, Leusdenius, Coccejus, Heideggerus, Lightfootus, Lœscherus, Deylingius, Cellarius, Starckius, Maji, Michaëles, Rambachius, Heumannus, Hasæus, Lampius, Müllerus, Kortumius, Friderici, Raithius, Schickardus, Hillerus, Klemmiius, Pfaffius, Wolffius atque Carpozovius*, quorum *scripta, inventa atque merita Critica*, tum ex aliis nonnunquam recensere poterit, tum & sua *νεῖται* moderata tantisque nominibus debita, illustrare conabitur. Neque vero *ordine continuo* singulas pertractare atque absolvere partes, necessum fore existimabit: verum, *nunc Prænotionem Criticam, nunc Organum Criticum, alia hora Præjudicium Pseudocriticum*, rursus *alia primæ magnitudinis Stellam Gnifio-criticam* in medium prolaturus erit. Habui hoc *Collegium* superiori atque hoc adhuc anno.

CONCLUSIO.

HAbet hic *Lector benevolus* generalem Delineationem typicamque Repræsentationem *VI. Collegiorum*, cum *VI. aliis*, quadriennio proxime elapso, à me in *Stipendio Illustri* pro viribus habitorem; quorum *occasionem*, quæ me, ut illa aperirem, commovere potuit ac debuit, nec non *typis eadem divulgandi rationem*, in antecessione primoribus labris prægustavi. Placet jam per modum *appendicule* haud frustraneæ aliquid subjungere de *singulorum necessitate atq. utilitate*, to-

D

tius-

tiusque instituti conformatione. Quod igitur spectat
I. Hypotyposin Collegii Analytici, continet quidem nonnulla
 non prorsus æque necessaria; cum plenioris atque ac-
 curatoris, cum *progressis* jam aliquatenus *hebraophilis* in-
 stituendi, *hodega ideam* contineat: ipsa vero *analyfi*, &
 complanata quidem à me atque signata viâ, aliquan-
 diu suscipienda & perficienda, quid magis potest cen-
 serî necessarium aut conducibile in studio hujus Lin-
 guæ? Novi edoctus propria experientia, juvenibus he-
 braica exculturis nihil *tanto oneri tantæque dividia* esse,
 quanta plerumque solent tractare *exercitia analytica atq[ue]*
synthetica hebraica, ut pro vespis & crabronibus habeant
 curas atque horas istas elementares, sibi maxime fasti-
 diosas. Ast & hoc me profiteri jubet usus rerum ma-
 gister, analyticorum Collegiorum pestem nullam esse
 capitaliorem, quam hanc; si *auditorum nausea* atque
 tædium docentem à tramite regio cogat deviare mox
 ad *diverticula*, aliorsum tendentia, & palatum modo,
 intempestiva laborantem malacia, stratagemate calli-
 do delinientia ac permulcentia. Scilicet *repuerascere* pu-
 det (utitur hac phrasi *B. noster Schickardus* alicubi) *an-*
nosos alphabetarios ephesos, & serperastro præmature reli-
 cto, absque firmatis cruribus & talis, non dubitant
 gradibus incedere virilibus, vel potius, cum cereis
 alis ad solem volare instar Icarî deliri. Porro *II. Schema*
Cursoria Bibliorum Lectionis usu sese suo patentissimo com-
 mendat mirifice, ut profecto (si foret integrum)
repetere ego quidem vellem *multos præteritorum*, & in *Mo-*
nasteriis jam per 18. annos integros à me exactorum dierum, &
 beneficio methodi istius horas dicarem quasdam tali Bi-
 bliorum, compluribus vicibus perlegendorum, evo-
 lutioni. Quodsi enim haud adeo magni æstimanda fo-
 ret

ret perfectior Ebraicæ Literaturæ notitia , aut acquiranda in mnemonicò adminiculo , alias difficillima visa , vocabulorum Linguæ sacræ copia : annon longe maximi , imò æstimationem prorsus excedentis , pretii opera isthæc est judicanda , quæ nobis *verbum Dei non in versione* , licet præstantissima , sed *in ipso originali textu* reddit familiarissimum , nec unum modo ejus volumen , sed omnia *θεοπνευστα* scripta , brevi temporis spatio , ob oculos ponit , perpetuamque Scripturarum cunctarum analogiam continuo nexu patefacit ? Debeo istud *salutare consilium* multis potissimum *Magistris* , suo me exemplo commonefacientibus , *Coccejo* , *Franzio* , *Edzardo* , *Franckio* , *Gussenio* , *Stolltenio* atque *Tribbechovio* : quos alii quoque imitentur , rogo & obsecro ; cum quivis , in studio Linguæ sanctioris aliquantum versatus , istam prosequi queat exercitationem , sibi multo fructuosissimam. Quod jam III. attinet *Adumbrationem Metaphrastici Collegii* , pro mea quidem sententia *pernego* , quenquam suo satisfacere posse *divini Interpretis sacrig. Oratoris officio* ; si non supra plebis suæ multitudinem sapiens , suam , qua uti debet , *translationem cum ipso textu authentico conferre* , & apud nos quidem , *Wurtembergicorum Bibliorum Lutheri* , *B. Hedingeri opera* & *Ducalis Consistorii auctoritate editorum asteriscos* , ad fontium *emphasin* eum sæpe remittentes , dextre usurpare possit. Quis vero , nisi in divinam injuriosè providentiam , *floci fecerit Donum* aliarum *Versionum* , Ecclesiæ multorum seculorum decursu concessarum , vel recentiori quoque ætate efformatarum ? Juvabit sane , observationes ex iisdem , origini maxime affinis , collectas ad verum Scripturæ sensum bene transferre. Non opus est , multa dicere de *IV. specimine* , vel *Lineamentis Collegii Polyglotti Orientalis Harmoni-*

ci. Non possum ire inficias , haud tantam , quanta & Analytico , & Cursorio , & Metaphrastico vendicata modo fuit , necessitatem atque utilitatem adscribi debere hujus generis *polyglotio* , Linguas Orientales reliquas , & cognatas quidem evoluturo : nec tamen & hoc negare ausim temere , nihil prorsus commodi ex istarum filiarum cognitione , ad ipsam redundare matrem Ebræam , suis hodie divitiis antiquioribus exutam. Saltem admittere omnes hoc debent , *Chaldaismo Biblico Danielis & Esra* plurimum opitulari Targumim , seu Versionum Chaldaicarum collationem : ut de reliquis alibi jam dicta non repetam. Illis vero , qui *Polyglottias* istius orientalis amore capiuntur , aut ejus usu persuasi , istud emetiri cupiunt iter , pro certo affirmare atque polliceri etiam non erubesco , positum ibi *via monstratorem* felici successu haud iri destitutum. Quid jam memorem *V. Exemplar Collegii Rabbini* ? Ita me planum fecisse ejus arbitror usum , sapissime haud contemnendum , ut mihi persuadeam , eum , qui ipsum illud schema , atque indicata ejus rudimenta pensiculate perlegerit , facile mecum consensurum : modo prius non vulgariter tinctus sit *Literis Hebraicis* , nec vanis multorum præjudiciis plene occupatus , quasi *Masoretarum* labor omnis vilior habendus foret apinis & tricis , *Rabbinisq.* , & *Exegetæ* , & *Talmudistæ* , & *Kabbalistæ* puri puti essent fabulatores atque inepti nugivenduli. Quis vero unquam (ut hoc unum non taceam) Linguæ Hebraicæ notitiam suis absolvere potuit numeris , *absq.* *Rabbinismi intelligentia* ? quis cum *Judæis* idonea agere valuit *Methodo* , dialecto ipsorum ignorata , variisque illorum libris principiisque non cognitis. Quis *scriptionem* ipsam originalis *Vet. Test. Textus* accurate investigare &

& variantes ejus Lectiones discernere polluit , plane hospes in *Masoretarum opere critico* ? Quod tandem pertinet VI. ad *Sciagraphiam Collegii Critici* , optandum sane foret , ut acromatica *Theologia exegetica* & sacra hermenevtica , certe plurimum necessaria in omni ipsius Theologiae studio , istiusmodi jam deprehenderet , & fundamenti loco subjecta haberet præcognita atque *progymnasmata critica* . Certe possunt distingui , saltem non facile simul tractari , & *exegetica* sive hermenevtica , & *critica* atque Philologia sacra : cum varia diversorum principiorum tractatio , & multiformis eorundem ad ipsos textus biblicos accommodanda applicatio recte discernantur . Quomodo autem (ut & hic notabilem adjiciam observationem) articulus de *Scriptura sacra* excellentissimus , absque *prænotionibus criticis* capi exacte poterit ? quomodo puritas atque integritas authenticæ canonis contra hypercriticorum audaciam defendi ? quomodo linguæ sanctioris notitia , non umbratilis illa atque vulgaris , sed accuratior ista geniumque ejus interiorem indagans satis acquiri ? quomodo media critica plane ignorata , dein probe applicari ? quomodo merita Gnificriticorum à Pseudocriticorum strophis determinari , nullis prælucentibus canonibus genuinis ? Loquitur dies & clamat experientia , quam parum proficiant etiam *plaustra optimorum commentariorum* penes se habentes , hermenevtæ aut homiletæ , *auricularis stigma* fronti inustum publice gerentes , aliisque ludibrium , & sibi tædium debentes , inter maximam quoque librorum haud dextre usurpandorum farraginem , quia discriminare non possunt tam varia ingenia , critico destituti judicio . *Restat* jam , ut pauca quædam alia adjiciam *monimenta* , vel *rem ipsam* , vel meum sal-

tem scopum uberius explanantia. Non potuit fieri, quin in cognatis hisce Collegiorum argumentis, ad ideam *curriculi orientalis Philologici plenioris*, à me contextis, eadem nonnunquam recurrerent, ratione tamen diversa hic vel ibi proposita: quod ipsum etiam de *Auctorum nominibus*, promiscue interdum, nec sine causa tamen, citatis, teneri velim. Quodsi *nexus* alicui non sit obvius, necesse habebit cogitare, legere se *Hypotyposin*, *Schema*, *Adumbrationem*, *Lineamentum*, *Exemplar* atque *Sciagraphiam*, non rerum tractationem evolutam, aut vivam corporis ipsius imaginem, oculis obversantem. Ceterum plura *hujus generis & alius ordinis Collegia Lectori benevolenti repræsentabit paucis meus Gnomon Orientalis Horologii, Horis XXIV. Collegiorum*, vel necessariorum, vel utilium, vel curiosorum, juxta *Ideam* perfectioris *Curriculi orientalis habendorum, tardius decurrentis*. Visum fuit, hic abstinere citandis & levi opera excerpendis *Auctorum* allegatorum *testimoniis*: quia & à mea desciscere debuissim mentis intentione, & appendicem convasare, ipso hoc Collegiorum repræsentatorum typo ampliorem, neque consultum esse duxeram quoque, schedas hæc, ex industria proximis annis cum pluribus communicatas, *multum immutare*, aut noviter reddere prolixiores. Interim *mea* patescere poterit *opera*, ex hisce primis laborum privatorum lineis atque umbris, non iis modo, qui res ipsas judiciose & *sine partium studio* expendere & discernere norunt, sed & illis præsertim, quorum *est*, & *interest* quoque obligationis ergo, *eo loco ingenia locare*, quo illa Deus & natura volunt posita, ut communitati prodesse queant, tanquam utilia membra, ad suas, non alienas stationes prudenter admota. Quodsi arcana humanarum rerum dispensatrix fortuna
divi-

divina, & humana quoque studiorum meorum moderatrix *Promotorum Voluntas* tale mihi munus assignaverint, ut hujusmodi *collegia* reiterare forsitan queam: contingere olim posset, ut horum *Schematum* quædam, inprimis *Collegii Metaphrastici, Rabbinici atq; Critici* integros parturirent Libellos, suaque tum latifundia fufius quoque & enucleatius explicare allaborarent. Jam quidem pulchrum mihi est & pium, Deo publicas etiam agere gratias, pro mente ad hanc studiorum conformationem directâ, & ad has institutorum Collegiorum rationes auxilio altiore munita: uti & *Dominis Auditoribus* me patienter audientibus debitas hic palam refero grates. Faxit nunc idem *Numen* benignum, ut hæ ipsæ etiam paginae, publicis exscriptæ typis, *compluribus* aliquod afferant emolumentum, & *ipsius honori*, & *aliorum commodis* reapse inserviens. Placet tandem, hasce meas observationes *consignare* cordatis *Viri*, de *Literatura Orientali* ex *nostratibus longe meritissimi*, B. nimirum *Schickardi* verbis, queis in suo *Bechin. Happer.* vel *Prödromo Examinis Comm. Rabb. officii sui atq; instituti rationem* significantissime ita *Lectori* exponere voluit: Hæc est *mens mea: Authoritatem Authentici Textus*, quantum in me est, manu tenere: ad *majora Biblia*, obstetricante *Buxtorffio Basileæ* renata, fructuosius legenda, studiosos manuducere, simulque ab aliquorum *Veritatis hostium* *μισεβουων* indocto & cyclopico contemptu vindicare: *Emphases originalium vocum*, quæ sub *versionum* involucris ceu cortice latent, enucleare: *Idiotismos* S. Linguae, à genio ceterarum remotissimos, proinde *nullo uno adæquato earum vocabulo explicabiles*, amplioribus verbis & circuitione utcunque repræsentare: *Judeæ* suosmet gladio jugulare: aliorum *interpretationes* modesta & *omnibus seculis concessâ libertate* examinare: *Masoræ*, minus quam decet vulgo notæ, usum monstrare: *Cabbalæ* arcana studiosis prodere: *strenuos* paulatim ulterius & ad *Chaldaismum* provehere: *tepidos* vel tantum ad *Hebraismi* amorem inflammare: *utrisq;* mecum proficiendi ansam præbere. Hoc *Magni istius Viri* (cujus, quod ipse de se & *Ræuchlini* memoria dixit, nunquam *sine stimulo ad hasce literas* recordor) exemplum, partem, mei quoque *Repetentis officii* (si *parva* licet componere magnis) norma fuit, atque *Collegiorum* hisce schedis delineatorum regula: quæ ut *aliis* porro aliqua saltem ratione inserviant, certe quorundam *Biblia* originalia excolentium atque adamantium *favorem* provocent, à supremo studiorum omnium moderatore Deo enixe deprecabor.



Venerabilis Repetentium Collegii Membris Præclarissimis,
 inde à 4. annis, vel ex eo promotis, vel *adhuc* istud exornantibus, aut *mox* illustraturis,
 S. P. D. devotissimus *Collega*, hunc *Observationum fasciculum* *is* inscribens,
 M. Dav. Frid. Megerlin, Pagellarum præsentium Auctor.

NUnquam porro, *Collegæ ac Fautores æstumatissimi!* rotundæ istius nostræ *Repetentium Mensæ* recordabor, quin una etiam cum debita recorder observantia dulcissimam mihi memoriam, & largissimæ *Divini Numinis* erga me indignum Clementiæ, & copiosissimæ gratiosissimæque *Serenissimi Principis nostri*, isto 4. annorum *curriculo*, mihi præstitæ immerenti Munificentiæ, & suavissimi simul mihiq; pretiosissimi *Collegialis vestri Favoris atq; Amoris* mutui. Erunt hæc omnia mihi jugis atque digna Laudum, Gratiarum agendarum, animique bene memoris merito conservandi materia; sive jam (quod, *uti nostis*, diu jam mente præcepi) *brevis literarii itineris gratia* mihi contingat frui, sive mox, splendidi *muneris istius* (quod, dum hic *Speciminum Prodromus* sub prelo jam sudaverat, inopinato nuperrime, singulari *Promotorum* Favore, mihi gratiosè oblatum fuit) apud *exteros cives* nostros capeffendi principium locare, Deo sic providente, tenear. Quanti vero æstimandum est, *Collegæ & Fratres Honoratissimi!* istud *Indulgentissimi nostri Nutritii* beneficium, quo is non *hic modo* *Venerabile Repetentium Collegium* clementissime solet maectare, *lautiore* Eos *mensa* jugiter communicans, variisque cum *honoris*, tum *libertatis* juribus, præ aliis *Stipendii sui alumnis*, eosdem donans, amplissimamque *Philologiam & Philosophiam & Theologiam* alios rursus docendi facultatem Eis concedens: verum etiam *isdem* ad altiora sic bene præparatis *aliquandiu*, luculentissimas *Patriæ nostræ Provincias sacras*, temporum successione legitima, gratiosissime tradit administrandas. Jucundum est profecto recogitare, & olim quoque, *Socii Laborum strenui!* juvabit meminisse, ex ipso hoc *Collegio nostro*, XIV. tantum annorum cursu, ad lautissimas, & *Professorum Philosophiæ atq; Theologiæ*, & *Superintendentium*, & *Præceptorum Claustralium*, & *Pastorum*, & *Diaconorum*, Spartas, in præcipuis tum *Würtembergiæ nostræ* civitatibus ac locis, tum *Extraneorum* quoque urbibus primariis, benevole promotos fuisse longe plurimos, qui in ipso munerum suorum conspicuorum splendore tam *Mensæ*, quam *Collegii Repetentium* læta memoria sæpius recomminiscuntur. Quemadmodum vero non vana *spes* nunc me alit, fore, ut *Pentecostali tempore* instante, faustis auspiciis *Societatem vestram mihi longe Carissimam* relicturus, impetrata à *Principe* aut mea ad *iter* suscipiendum venia ac discessione, aut (si *Ipsi ac Deo* videatur) etiam *Promotione* nuper oblata, *novis* rursus *Collegis* Dignioribus locum facere queam: ita, dum ad benevolum *Examen* harum pagellarum mearum in publico *Colloquio Academico* vos jam peramanter invito, debitas una omnibus ac singulis perfolvo *gratias* pro exhibito mihi adhuc amore ac favore vestro. Fortunet vos porro etiam *Benignissimum in Cælis Numen*, ut *labores vestri omnes*, tam *Ecclesiastici*, dum verbum Dei annunciando & Sacramenta administrando, Domini gregem bene pascitis; quam *Scholastici*, dum aliorum mentibus variam, in *Repetitionibus* vestris, & *Philologicis*, & *Philosophicis*, & *Theologicis*, Eruditionem instillare debetis; nec non *reliqua* etiam universa genera officii, ad conservandam *Stipendii* hujus *Ducalis* disciplinam bonumque ordinem vobis demandati, spectent atque enitentur ad *Dei gloriam aliorumq; ædificationem*. Ita Te Deus amet, plus plusque sospitet *venerabile mibiq; per amabile Repetentium Collegium!* ut mutuo concordiæ, industriæ, doctrinæ, pietatis atque sinceri affectus vinculo jugiter colligatum & copulatum, *efflorescas novo semper vigore*, ad *splendorem Patriæ, publicumq; egregium*, & *perpetuum Tuum incrementum*. Scribebam d. 10. Ap. 1729.

Fasciculus observationum miscellarum disputabilium, uberiorem opponendi materiam præbentium.

I. **Q**ui *Theologiae* opitulantiem *Philologiam S.* nullo modo philosophari opinantur, imperfectam ejus ideam sibi ingenerant, nec pollentiam *Critica*, a judicando ita dictæ, satis assequuntur: merito igitur ablegandi, ad Auctores fere infinitos e. g. *Glassium, Buxtorffios, Pfeifferum, Hottingerum, Lœscherum, Cappellum, Schmidium, Franzium, Waltonum, Klemmum, Clericum, Calovium, Simonium, Pfaffium, Leusdenium, Bashuyse- nium, Wolffium, Heideggerum, Cellarium, Polum, Reimmannum, Le Longi- um, Carpzovium, Whistonum*, aliosque, diversissimi licet generis, longe plu- rimos, ut intelligere discant, quanti illud sit æstimandum: *Textum Origina- lem* interpretari, *Linguas Authenticas* investigare, *Versiones quascunque* per- scrutari, *Antiquitates prisca* indagare, *commentationes quasvis & Judæorum & Christianorum* examinare, judicioque suo ad regulas accuratas exacto, sententiam maxime probabilem, de omnibus criticis quæstionibus, pronun- ciare. Id quod in *Idea Generali cursus philologici orientalis*, distinctis inter- vallis & gradibus emetiendi, pluribus explicatum dabo, cum *proximis hebdo- madibus* prelum quoque sit expertura.

II. *Protestantes* cordati, virtute omnium *primorum Principiorum* suo- rum, non possunt non magni æstimare *Philologiam S.* ad *Lectionem Scri- pturarum in Linguis Authenticis* facem ipsis præferentem: Inprimis tamen *Linguam Ebraeam*, quæ singularibus fatis ac prærogativis suis *Dignitatem* suam tuetur, præ universis totius orbis nostri *Linguis*: quæ & *Theologiae* cultori profus evadit *necessaria*, tantum non ad omnes officii sui partes le- gitime implendas: Quæ maximos etiam eidem præstat *usus*, cum in ipsa *Theologica* sparta, tum & in studio *Philologico OO.* universo: nec ullis *exprobrationum* atque *exceptionum* infirmarum telis vulnerari aut confodi un- quam potest: præterea etiam *prædicatur* quamplurimis eruditorum & par- tium & temporum omnium *Testimoniis* locupletissimis: similiter quoque *hypothetica necessitate variaque utilitate* in *Orientali* curriculo *Philologico* sese commendant, *Dialectus Rabbinnica, Lingua Aramæa*, in *IV. Idiomatibus* suis, *Babylonico, Samaritano, Hierosolymitano & Maronitico*, nec non *Lingua Arabica* atque *Æthiopica*. Subministrant hæ positiones *Dispositio- nem X. Argumentorum*, quibus meum *Fus Postliminii Orientis* suspectam non- nullis, saltem plurimis contemtam *Linguae Ebraeae* aliarumque *Orientalium* dignitatem, necessitatem atque utilitatem propugnabit: quod & mox, *fi- nitis Paschalibus feriis*, operas exercebit typographicas, *Deo volente*.

III. Quodsi *quæras* : Utrum & *Philologia* & *Philosophia* ad pleniorē *Scripturæ intelligentiam* requiratur ? haud gravatim ajo : *utrique* suum & necessitatis & utilitatis gradum esse adjudicandum. Si vero *inftes* interrogando : *cujusnam* potiores censeam partes esse debere ? Nolim ego quidem (cum nimis nota sit Reformatae Ecclesiae Doctorum quorundam pugna infelix : *An Philosophia sit S. Scripturae interpretis ?*) *Pastoris* cujusdam *Aroviensis*, de *Cel. D. Scheuchzeri S. Physica Johi* ad Doctissimum *Joh. Bernoulli*, literas hac in materia scribentis judicio subscribere : studio *S. Philologiae & Criticæ, Philosophiam Naturalem & Mathesin in Theologo* multum præferendam esse. Potior mihi est *Theologi* nostratis *Meritissimi, Magni illius Calovii*, sententia, quæ in *Thesi Anti-Syncret. IV.* sic pronunciat : *Theologia studioso longe magis necessaria est Linguae Hebrae, & Graecæ, quam Theologia Scholastica notitia, aut Patrum studium, aut Philosophiæ, ac nominatim Logicæ & Methaphysicæ.* Allegavi eundem ex *T. I. Syft. Theol. p. 88.* fusius istam mentem suam exponentem, inter alia *Testimonia*, in meo *Jure Postliminii OO.* adducta. Cum modo citatis *Calovii* verbis conveniunt utriusque & *Henrici Jacobi & Gualtheri van Bashuysen* effata, huic causæ aliquid (ut puto) lucis commodantia, hæc quidem : *Philosophia* nobis est *innata*, non item *Philologia* : *Philosophia* sola ratiocinatione, *Philologia* & ratiocinatione, & *regulis fere infinitis*, inprimis frequenti collatione & observatione acquiritur : hinc ut *judicium*, ita *experientiam*, & ipsam adeo *memoriam* requirit. Ceterum, in *tota hac lite* sat *circumspecte* dijudicanda, opus esse arbitror *circumstantiarum discrimine*, *ratione ingeniorum maxime*, stylo *B. Joh. Christ. Langii*, vel *universalium, admirandorum, vastorum, laboriosorum, curiosorum, docilium, excitatorum, investigantium, publicorum, theoreticorum atque venerabilium* ; vel *particularium, modo obviolorum, angustorum, desidiosorum, nauseabundorum, infelicitum, languidorum, usurpantium, latentium, practicum & contemtorum*, sed & *ratione subsidiorum, scoporum, Patriarum, temporum Academicorum*, atque *obligationum variarum*. Spectant huc quædam ex *Præfatione Ordinis Theol. Halensis, Modestæ Disquisitioni D. Joach. Langii præmissa, & Reineccii Præf. ad Pocockii Not. Miscell.* Nonnulla etiam ipse posui *discriminatim* in edendo *proximis diebus Gnomone Horologii OO. Horis 24. Collegiorum*, vel *necessariorum, vel utilium, vel curiosorum, juxta Ideam OO. curriculi habendorum, sensim decurrentis.*

IV. Non sufficere potest *Exegetæ erudito*, qualiscunque tantum & *proletaria* atque *quotidiana Linguarum SS. cognitio*, sed *accuratior demum & consummatior, verbo, Critica* (qualem in *Primit. Tubing. Diss. I. de Præj. Th. p. 57.*

Th. p. 57. delineavit *Magnificus Dom. Cancellarius D. Pfaffius*) hermeneutico fini accommodata plurimum utilitatis præstat. Nemo igitur unquam negare aufit, vel in dubium vocare poterit, quæ ex communi Protestantium sententia, in usu Theol. Philos. Leibn. ac Wolff. p. 180. ita posuit graphice apud nos famigeratissimus Monasterii Bebenhufani Dn. Præceptor Canzius: Voces sunt signa cogitationum, non signa signorum, quæ ex obliquo, & per ambages ad signata ducunt. Atqui Versiones signa sunt signorum, quæ Lingua Originalis utitur; non potest igitur interpretes commode Linguarum originalium notitia carere. Hinc necessitas grammatici studii, rhetorici, cæterorumque pendet. Non plene his respondent, quæ Celebratissimus Christianus Wolffius, in ore ac memoria hominum ævi nostri vivens, in Philos. sua rationali p. 701. sq. scripsit: §. 978. *Lingua authentica hunc solummodo habent usum*, ut iudicium ferri possit, num versio rite facta, seu an voces Linguae authenticæ & in versione iisdem respondententes eandem rem designent. *Profecto non hunc solummodo usum habent Lingua Authentica!* Recte quidem ibi Vir Meditationis profundissimæ summe Reverendi C. Neumanni, per 36. annos excogitatam hypothesin, de significatione Literarum hebraicarum Hieroglyphica, ac seminibus vocum, harumque significatione quodam essentiali, non adeo magni æstimat; cui ego minus tribuo, quam ipse ei concedere videtur, quamque nec specimina ad Ill. Leibnizium A. 1707. perscripta ab ipsomet Neumanno, nec alia ejusdem volumina, nec Helmontii præludens huic sententia, nec Doct. Læscheri commendatio atque usurpatio in Tr. de causis L. Ebr. & passim in Relat. Innoc. nec tentata a Zieroldo ad integros Libros Biblicos applicatio adhuc mihi persuadere potuerunt, ut lucem, tenebras atque ambiguitates Ebraicas aliquando dispulsuram: cum ipsam illam opinionem loco certi atque indubii significatus, sexcentas ambiguitates novas, vagamque & in mille formas flexilem ideam parere nullus dubitem, censente idem Cel. Christ. Ben. Michæele, Scharbanio, Schudtio, Reuschio, Soucieto, Klemmio. Verum in eo, ex multis rationibus alibi plenius tractandis, non possum non discedere a nominato Marpurgeni Philosopho & Mathematico Cel. Wolffio, quod loco citato nullum linguæ Authenticæ in notionibus venandis usum concedere vult, nisi quando denominandi ratio fuerit a notionem petita; §. 914. cum vel solam Excellentissimi Hamburgensium Pastoris ac Professoris LL. OO. Joh. Christophori Wolffii Bibliothecam Hebræam ac Rabbinicam, ad Judæorum scripta omnia introducentem, Curasque Criticas in N. T. ei opponere suffecerit: quod etiam in Logica Germanica, p. m. 168. ait: *wir gehen zu weit, wann wir aus der Sprach, Kunst den Nachdruck des Worts zu zeigen gedencfen*; ubi Solidissimi Dn. Prof. Rambachii Instit. Herm. L. II. c. 11x. de eruendis styli sacri emphasibus p. 317. & antecedens C. VII.

de consideratione vocum ac *phrasium* singularum, nec non *D. Lütkenii Collegium Emphasiologicum*, A. 1728. editum rem *decidere* velim: tandem quoque, quod in *Ratione Praelect.* p. 115. *etsi* Theologiae dogmaticae, moralis atque polemicae *fundamentum* esse ajat *Scripturae sacrae exegesi*, asserat *tamen*: linguarum authenticarum & antiquitatum studio *plerumque* non obtineri, nisi ut *rextus* in *aliam linguam* rite transferatur; ut vero singularum vocum *notiones genuinae* exhibeantur earumque *nexus ac emphasis* ostendatur, & demonstrativa fiat interpretatio, id praestari in primis ope regularum *Logicae* verioris ac *Rhetoricae* & *Grammaticae* generalis seu *philosophicae*; quorsum citandus est suo jure *Glassius*, ut, plerisque dictum incomparabile, ipsius *Philologiae opus*, Criticis atque Exegetis auro carius, sententiam hic pronunciet. *Dixi*: me heic in *diffusorem* campum hunc exspatiari, jam loci angustia exclusum, haud posse: neque etiam consentaneum vel honorificum mihi foret, *viro perspicacissimo* aut facere injuriam, aut certe molestiam creare: hoc tamen *tacere* non possum vel debeo, siquidem mens lava me non fallit in *ponderata* causa isthac: Aut *logomachiae* aliquid in hisce latet *Philosophi* verbis ab aliis hic abeuntibus, aut saltem *loco suo movet antiquos* sacrae philologiae, grammaticae, criticae, rei antiquariae, logicae, rhetoricae, hermenevticae atque exegeticae *limites finales*, nimiumque revocat ad *philosophiae carceres* ista Theologiae subsidia. *Ceterum* omnino foret optandum, ut etiam ex mente *Magnifici hujus Philosophi* demonstratus, *Authenticarum Linguarum* in S. S. interpretanda *usus, versiones vernaculas*, ad fontium originalium intellectas voces, rite examinaturus, *plures* excitaret, Hebraicae etiam Linguae operam curatorem commodantes.

V. *Famosa* est atque *difficilis* *Questio Critica de Masora & Punctorum vocalium atque accentualium cum antiquitate tum auctoritate*, ut prudentissima videri possit *optio*, quae ad *dubitantium Scepticorum* partem accedit potius, quam ad *decernentium Dogmaticorum* opinionem. Verum si in thesi & in *actu signato* *Fluctuantium* sententiae subscribas, videas tibi contingere in *hypotheli* & in *actu exercito*, ut pro *objecto materiae* nunc *Cappellianus*, nunc *Buxtorffianus* evadas. *Mirabilis* est *Cel. Jo. Marckii*, utriusque partis argumenta *expendentis, dijudicatio* in hisce 7. *Positionibus* curiosis: 1. *Traditio & ratio magis* facit pro punctorum antiquitate, quam contra eam: 2. *Documenta realia* validiora sunt *contra* eam, quam pro ea: 3. *ipsa punctorum origo*, divina an humana, *vix prorsus* potest judicari: 4. in qua incertitudine *minus probabile* videtur, eadem ab *Esra & Synagoga magna*, ad literas esse addita: sed 5. *magis probabile*, quaedam ab *origine prima* esse omnino repetenda, praeter alios: 6. nec leviter aut temere ab *hodierna* punctatione est recedendum: sed nec 7. ab *altera parte*, eadem *nimis superstitiose* semper & in omnibus sequenda.

quenda. Hinc plerique, ex quo, seculo superiori *Cel. Buxtorffii* atque *Cappelli*, contentiones criticae serram *diu, prolixè & erudite* recipiarunt, hodie eorum scripta ac sententias in *recentes tantum modulos* transfundunt. Ita e. g. nuperrime *Præstantissimi nostrates Duumviri Juvenes, Lud. Hercules Daserus, Diaconus Ecclesie Bietigheimensis Præstantissimus* in *Exercit. Philol. Buxtorffiorum* maxime ac *Wasnuthi* argumentis, originem & auctoritatem *Punctorum Hebraicorum Divinam* asseruit, stabilivit & vindicavit; contra, refutatus ab hoc ipso, *Jo. Frid. Cotta, Honoratissimus, nobisque amicissimus Collega adhuc noster, jam a Serenissimo nominatus* in hac Universitate *Professor Extr. A. 1726. in Exercit. Histor. Crit. Cappelli potissimum* ejusque sociorum hypothesein, *liberiores atque doctissima tractatione* defendit atque exornavit. *Me quod attinet, ita statuo paucis, cum in Syllabo xxx. observat. pluribus excuserim hanc materiam: I. Velim, suam cuique libertatem, in hujusmodi materia, tam variis dubiis involuta, fartam tectamque manere, mutuisque abstineri calumniis, & vel auptias vel superstitionis literariae imputationibus ineptis. Judiciosissima profecto sunt & verissima Magnifici Dom. Cancellarii verba in Diss. de Form. consens. Helv. p. 42. n. 9. ita se habentia: Quæstio illa de antiquitate literarum & punctorum Hebraicorum, determinatu tam difficilis est, ut ad εροχην criticam viri prudentes & eruditi hic jam confugiant. Idem enim fere est rationum & argumentorum ex utraque parte pondus, eadem vis. Et rursus in Introd. in Histor. Theol. Liter. p. 84. Cæterum intelligere utique Masoram debet Theologiae studiosus, ut & de ea judicare valeat, quo in argumento Buxtorffii Tiberias certe eum mirifice juvabit. Mira autem res est, quod antiquitas & punctorum & Masora tot dubiis tantaque rerum incertitudine laboret. II. Nolim, Criticos audaces, instar Cappelli, concessis hic dubiis quibusdam occurrentibus, ad mutandam pro lubitu textus S. lectionem abuti, & profanis Scripturae irrisoribus fenestram sic aperire. Cordata sunt & momentum cause utriusque attingunt effata summe Reverendi Dn. D. Weismanni in Schediasm. Acad. p. 442. sq. ubi ita: Illud dissimulari non debet hoc loco: ipsius etiam de Scriptura divinitus inspirata doctrina dignitatem & certitudinem summo jure exigere, ne pendere absolute credatur ab hujusmodi problemate, de quo post examen operosissimum & exactissimum totius controversiæ omniumque momentorum illius, quousque ea eruere & colligere summa potuit industria & eruditio, adhuc hodie fatentur Viri Doctissimi: continere illud questionem grammaticam & Criticam potius, quam Theologicam: argumenta s. historica s. dogmatica utrinque allata nihil certi demonstrare, & lectorem suum in tenebris incertitudinis relinquere, hincque inter ipsos etiam orthodoxos variantes & contrarias reperiri sententias. III. Subscribo mente*

ac manu huic *Canon* III. *Formula consensus Helvetica Edit. Pfaff.* p. 3. Eorum sententiam probare neutiquam possumus, qui lectionem, quam Hebraicus codex exhibet, *humano tantum arbitrio* constitutam esse definiunt, quique Lectionem Hebraicam, quam *minus commodam* judicant, configere, eamque *ex LXX. seniorum aliorumque versionibus Græcis, Codice Samaritano, Targumim Chaldaicis, vel aliunde etiam, imo quandoque ex sola ratione* emendare religioni neutiquam ducunt, neque adeo *aliam lectionem authenticam*, quam, quæ ex *collatis* inter se *editionibus*, ipsiusque etiam Hebraici codicis, quem variis modis corruptum esse dicunt, adhibita circa lectiones variantes *humani iudicii Κριση*, erui possit, agnoscunt: tandemque præter editionem hebræam hodiernam, *alios esse Codices Hebræos* in veterum interpretum desectentibus ab Hebræo nostro contextu versionibus, quæ etiamnum variantium olim codicum hebræorum indicia sint, decernunt: atque ita *fidei nostræ principium, ejusque auctoritatem sacrosanctam anceps in discrimen adducunt.* Scilicet juxta *Bibl. Brem. Cl. VII. fascic. 8. p. 694. Genevenses* ad IV. civitates bene rescripserunt: ex *Epist. Rev. & Cl. D. Heideggeri D. Turretino* scripta, probe sibi perspectum: mentem unice eam fuisse: *solum Fontium Hebræorum Vet. & Græcorum Nov. Testam. divinam* supra omnes, qualescunque eæ sint, *versiones, authenticam* asserere & extollere. Quod utique non probandum in *Pseudocriticis, & Clerico* inprimis, qui ubique in *alterum extremum Cappellianum* nimis suo exemplo propendit in suis *comment. & in Sentimens* de quelques Theol. de Hollande p. 441. & 444. scribit: Vous avez lu les ouvrages, de *M. Cappel & de M. Buxtorf*, & vous m'avez dit plusieurs fois, que ce dernier n'étoit, qu'un *opiniatre*, qui *chicanoit* des verités claires comme le jour. - Mais, disent-ils, *c'est corriger l'Original per les Versions*, au lieu de corriger les Versions par l'Original, que d'en user, comme a fait *M. Cappel.* Le meme *M. Cappel* a refuté *cette miserable objection* plusieurs fois dans les Ouvrages: & il ne faut pas être fort habile pour voir, que l'*Exemplaire des Massorethes* ne doit pas être regardé comme l'*Original* plutôt que ceux que les *Septante* ou les *autres interpretes Anciens* ont eu, mais comme une *bonne copie & revue* par d'habiles gens. *Pessimum vero Criticum* nuper egit *Whistonus* a *Carpzovio* generaliter egregie refutatus. Tandem & IV. *profiteor, Anti-Cappellianam* hypothesin non modo *longe tutiorem* mihi videri ad textus originalis *au Jewish* conservandam, & immotum fidei nostræ principium constituendum, verum etiam *multo probabiliorem, & veritati propiorem*, ut *Cappelliana* parti X. modo concedam *argumenta*, veri speciem gerentia, *Anti-Cappelliana* vero XXV. *solidiores diversi generis rationes*, quas heic proponere loci vetat angustia, alibi allegandas. Multum eapropter apud me valent

Vene-

Venerandi atque Doctissimi Jo. Christ. Wolffii hic Læscherum sequentis, pronunciata Bibl. Hebr. T. II. p. 486. Nostram denique sententiam exposituri non negamus, ab utraque hic dissentientium parte ea afferri pro tuenda vel oppugnanda vocalium antiquitate argumenta, quæ optionem facere dubiam possint. Interim rem curatius putanti, & tutius, & re ipsa dignius, & antiquitati Judaica convenientius, visum est eorum amplecti partes, qui vocales vel ab ipsis Scriptoribus sacris, vel ab Esdra, Viro Θεοπνεύσω & scriba divino profectas, a sequentibus autem Doctoribus conservatas, & a Tiberiensibus denique adversus corruptelas imminentium tunc sæculorum præmunitas esse arbitrantur. Addantur ei Pfeifferus, Calovius, Wasmothus, Carpzovius.

VII. Dantur & non dantur in Textu Hebraico, Enallaga, Pleonafni, Ellipses & Hyperbola, pro assumta Idiotismorum OO. Biblicorum definitione. Dum autem eisdem cum Sennerto esse ajo Linguae sanctæ proprietates, juxta quas ratione vocum simplicium & conjunctarum, tum ab aliis differt Linguis, vel maxime, Occidentalibus, tum & a se ipsamet interdum discrepat, juxta analogiam suam perpetuam & communissimam: miram deprehendo pugnam logomachicam, inter communem & recentiorum nonnullorum sententiam. Non video, (si rem ita ponderem) qua ratione Wokenius Prof. Lips. ope pietatis critica A. 1726. Textum V.T. Ebræum ab Enallagis liberaverit, & dignitati Deo dignæ restituerit: nec comprehendo, quomodo D. Gerdesius, Theol. Prof. Duisburgensis A. 1727. in vesperis suis Vadenfisibus Hyperbolas ex Scriptura S. eliminaverit, & ab ejus macula δυσνοητα loca purgaverit. Hoc autem scio, quod Dignissimus, primum Isenacensis, nunc Gottingensis Gymnasii Inspector, Chr. Aug. Heumannus, in suæ Pœciles T. III. L. I. p. 34. in datis ad ipsum D. Gerdesium literis nuper ei indicaverit: se ea parte, qua cum Cel. V. E. Læschero nulli hyperbolæ locum in divinis Libris relinquat, ab ipso dissentire, novamque istam sententiam eorum refellendam, veterem vero luculentis argumentis propugnandam suscepturum esse, & quidem, cum pietatis speciem habeat sententia isthæc nova, se occasione ea nonnihil verborum facturum de Pietismo critico e Philologia S. eliminando. Conferatur etiam Magnifici Dn. Cancellarii Disput. de recta Theol. Prophet. conformatione p. 23. n. b. ubi in Prophetis dicuntur regnantes enallaga, ellipses & hyperbola, ut sæpius haud ita presse impleta conspiciantur, cum magna verborum amplitudine prolata.

VII. Graviter erratur a contemptoribus Studii Accentuatorii, quod neque Axiomata ejus fundamentalia rite intelligunt, neque quadruplicem ejus usum, sibi non opponendum sed subordinandum, & grammaticum & musicum s. lectorium, & logicum, & rhetoricum, tum in ordinario, tum in extraordinario atque emphatico & affectuoso statu suo satis capiunt. Nemo capitalior ejus est hostis, quam Clericus, qui in Comment. in Pentat. quasi re bene gesta, ιδιογνωμοσυνην suam profiteretur: post omnes interpretes primum se nullam Accentuum rationem habuisse, quod commentum sint Rabbinicum, ad augendam discendæ Linguae Hebraicæ difficultatem confictum. Alibi vero exemplis comprobabo, quam turpiter se dedit ob neglectum hocce adminiculum exegeticum. Det rei specimen locus Deut. 32, s. ubi ex ignorantia & despicientia accentuationis, non modo constructionis leges in hebraicis codicibus nostris maxime violatas esse ait, sed asserit quoque pro certo: rectam & analogicam hic esse Codicis Samaritici lectionem, ob quam in 5. vocibus etiam 5. mutationes fingit audacia non ferenda, & tandem in gratiam versiculorum suorum ομοιοτελευτων rursus

accentuationis limites ridicule migrat p. 594. 600. & 603. Hunc vero egregium fundunt sensum *Accentuum leges: Anne Deus (justus) corruerit eum?* (populum suum?) (vel: Num corruptio ei?) *Nequaquam; (ipsi) filii ejus (sunt propria) macula sua:* (nam sunt) generatio perversa & contortissima. Evolve etiam *Michaëlem, Hillerum, Coccejum, Was-muthum, Starckium, Coccejum, Dörffelium, Ledebuhrium, Varenium, Beckium, Bärck-linum*, qui omnes authenticae interpunctionis beneficio, *crucem* tot interpretibus, ipsi etiam *B. Luthero nostro* in variis suae versionis editionibus fixam, heic solvendam exiltima-runt: ubi tamen mireris, genuinam interpretationem istam à *paucis* adhuc adoptatam in commentariis, aut *versionibus* recentioribus insertam, excepta *Schmidiana* nobilissima, & eximia *Berlenburgensi nova*, quae ita *emphatice* originalem refert fontem: *Hat ers mit ihm verdorben? Mit nichten! seine Kinder sind ihr Schandfleck: (o) des verkehrten und verdrehten Geschlechts!* *Musicum* vero usum nemo adstruxit melius *Abichtio*, qui ex *Talmu-de, Majora, Rabbinis*, ordine *accentuum*, ac *servorum numero* eum declarat, & una probat, *primarios* Distinctivos antiquorum *ⲉⲓⲭⲉⲥ* referre. *Logicam* profecto versuum *αναλυσιν* juvant mirifice, ut jam *A. 1718. in mea Magisteriali Disp. probavi* in *Jes. 53. 4. - 7. pag. 16. & 23. Conf. Ex. 19, v. 5. 9. quem Talmudista in Nedar. Babyl. c. 4. f. 38. col. a. in 3. vers. di-vidunt: ubi ⲉⲓ & ⲧ* adsunt. Vid. *Cel. Abicht. in Accent. Hebr. p. 3. 7. 9. 11. & 117.*

IX. Plurimum nocent *falsa Hypotheses*, etiam *Philologicae*. Non parum sibi obfuit, quan-tumvis *excusatus* errans, *Jac. Gussenius, in commentariis Ebr. Ling. per 30. annos collectis, & 1702. fol. Amstel. editis*, quod *solum Bibliorum Ebr. Lektionem continuam, & Ὁρθόδοξον* lecutus, non modo hauriendam ex *Rabbinicis* scriptis utilitatem vilipendit, sed parum etiam *Versionum collationi*, & *affinium Ebraeae aliarum LL. OO. adminiculo* tribuit. Jam satisfecit *Cel. Reineccius* Viri de studio Ebraico cetera egregie meriti rationibus. Profecto *primus Bibliorum Ebr. versus* eum satis refutat, *cujus 4. voces ex Arabica Lingua & Coranica praesertim* suas radices feliciter repetunt, *judicio πολυγλωσσων, Pocockii, Pfeifferi, Hinckelmanni, Hottingeri, Cellarii, Kromayeri, Opitii &c.* Non vacat jam, *Rabbinorum* quo-que defendere usum, alibi a me probatum, & porro comprobandum. Conteratur huc *Light-footus, Relandus, Wolffius, Hackspanius, Geierus, Grotius, Coccejus, Schmidius, Carpzovius*, alii. Longe *capitalior* vero est *paradoxi Helmstadiensis Philologi* hallucinatio critica, quae non tantum *transfuga* prodigiosi *Joh. Petr. Erci, Prof. Patav. renatum e mysterio* Princi-pium *Philologicum, nova παλιγγενεσία* renasci voluit, & linguam *Græcam omnium* constituere *antiquissimam*, ipsam quoque *Hebraam*, reliquasque *Orientis & Occidentis Dia-lectos* ex se prognerantem; verum & (quod maxime *dolendum*) delirantis ingenii *somniis, historiam* omnem, *sacram vel maxime, in dubium vocans, Mosique Pentatevchi* scripturam abjudicans, pessima exegesi, simplicem ac planam, *literalem* Scripturae sensum, in illa potis-simum *Pericopa, de Linguarum confusione Gen. XI, 1. - 9. in abstrusum allegoricum* absurdum-que *ænigmaticum monstrifice transformavit*. Uti vero *peculiaris Serenissimi Recessus Domi-nos Stipendiarios* ab insulsis hujusmodi scriptis viri istius famosi prudenter revocat: ita suf-ficere potest responsionis loco *Lipsiensium Actorum Eruditorum epicrosis Febr. A. 1727. sub-juncta: Hac est Hardiana interpretatio! Ex asse* autem ei satisfacit *Doct. C. r. Ben. Michaëlis A. 1727. omnia Lernæ istius hydræ capita amputans Commentatio Apologetica*. Tota pro-fecto via aberrat *Criticus* mirabiliter morosus, quod in *Mosaïcis historiis Allegor: mena* fingit, quae excludant, neque pro *basi* agnoscant sensum *literalem & historicum, D. Pauli* ex-emplo refutandus, *Gal. IV, 24. qui ἀλληγορούμενα* *Mosis dilucide explicat & applicat:* uti in *III. Dissertationibus* ad istud argumentum recentius conscriptis nos edocet *Summe Re-verendus D. Hagmajerus, Fautor meus Colendissimus.*

IX. Uti *Interpres* nulli prorsus *Translationi* cœcæ debet obedientiam : ita nec nostræ *B. Lutheri*, quam & ad fontem originalem exigere ei licet, & ab eadem interdum discedere. Ita profecto ei non integrum modo est, sed *necessarium* quoque ab illa dissentire in *Pf. 80, 16. & 18.* maxime quoad posteriora hemistichia, ubi egregiam *emphasin* *Authentici* Textus plane omittit Versio *Lutherana*, habens : *Den du dir* (die Leuthe/ die du dir) festiglich erwehlet hast. Utrique versui asteriscum præposuerunt *Hedingeriana Biblia* nostra, exegetam ad *Hebraum* revocatura. Non possumus non hic ad stipulari *erudita observationi*, quam in *der Neulingenden Harpffen Davids* A. 1719. edita, & novis augmentis mox rursus proditura, plurimum *Reverendus Johann. David. Frischius, Adelbergensis Abbas, & Senatus Ecclesiastici Assessor Meritissimus, Promotor, Patronus* atque *Cognatus* noster ætatem suspiciendus pag. 700. seq. ita notabiliter posuit : *Hier lassen wir nicht gerne die emphatische Redens: Art fahren / die sich im Grund-Text findet / und von dem Chaldäischen Dolmetschen / nachgehends von Augustino, und endlich auch von den Niderländern in acht genommen worden.* Miror sane, *Lutherum* hic deserere *antiquissimas Translationes.* Recte enim omniuno *Chaldaus* : מלכא משיחא & כר נש ob Regem Messiam, & filium hominis : bene quoque *Græcus* : επι υιου ανθρωπου : similiter *Ar. Æch.* curate etiam *Vulgatus* : super filium hominis : & secundum hunc *Ulenberg* : *Sieh auff den Sohn d. m.* Propius etiam nostro *Luthero*, accedunt fonti quidam recentiores : *Kayserus* nostras : *Ja* (suche heim) den besestigten Sprossen / und (war) um des Sohnes willen : etſi v. 18. non æque reddat exacte : über den Sohn des Menschen : *Belgæ* : v. 16. ende dat om den Sone / qui v. 18. etiam habent : *Wie hant 30 ober den Mann uwer rechter hant / ober des Menschen Sone.* Egregie *Junius & Tremellius* : idque propter filium, quem fortificasti Tibi. Prorsus indigna est memoratu *Raschii* interpretatio, qui propter *Gen. 27, 39.* de *Esavo* accipit : super *Esavum*, qui fuit filius, Patri suo charus, quem corroborasti Tibi, ut habitatio ejus sit præpinguis soli. Reliqui *Judaorum, AbenEsra, Kimchi, Sal. b. Melech* unanimiter explicant de *populo Israëlítico*, quos vide sis : & hos secutus est non *Lutherus* modo noster, etſi *Paraphrastam* magis quam *Metaphrastam* hic, ut alibi, agens, sed & alii quoque. Satis pro imperio *Pineda* Pontificius ad h. l. ita : apparet hic, de nulla alia re agi, quam *populo Israëlítico*, qui comparatur viti & surculo. Sic & per *Metaphoram* alibi *Hebræis* usitatam e.g. *Gen. 49, 22.* ipsa *Anglicana Regia* accipit v. 16. vertens : *And the Vineyard, vvhich thy rigth hand hath planted, and the branch, thas thou madeſt strong for thy self :* quæ ipsa tamen v. 18. reddens : *Let thy hand be upon the man of thy right hand, upon the son of man, & allegans parallela Col. 1, 13. Pf. 110, 1. Act. 10, 38. Dan. 7, 13.* ad *Christum* respicit nobiscum. Uti *Anglicana* hæc, se etiam exprimit, alias longe accuratissima, *Ferrariensis Hispanica* : y sobre ramo (que) efforçaste á ti : v. 18. sobre hijo de hombre. *Amstelodamensis Judaica* quoque verba rite effert, licet *Rabbinico* sensu : und auff den Sohn & v. 18. auff des Menschen Sohn/ den du dir hast gestärckt. Plurima nunc *critice* possemus monere, sed integram ea polcerent disputationem. Breviter sententiam expromo : כ non est affixum, sed *paragogicum*, *Altingio* 3. rationes allegante. Sic nec ע super notat, in quo pleræque errant & metaphrases, & exegesés, sed propter : nam *vocum* *emphasis, & contextus series, & canæ ac sanæ Antiquitatis Judaicæ consensus, nec non Christianæ, in* melioribus suis *Hermenevtis, in v. 16. & 18. rationem* istius *Ecclesiæ, in variis temporum periodis juxta Coccejum* afflictæ, supplicationis *hanc* optime fundant : nos *visita propter Filium : propter virum dextræ Tuæ* præsens sit manus *Tua* omnipotens : imo *propter Filium hominis, quem corroborasti Tibi.* Nollem de *expositione hac & verissima*

& solatio plenissima, cum Calovio in *Bibl. Ill. frigide* tantum dicere: *Non omnino improbanda est & videtur, utur alii aliter reddunt.* Profecto *vel maxime* approbanda est ab eo, qui v. 16. & 18. penfuculate secundum *momenta* ante posita trutinaverit. Conferatur autem ulterius supra citatus summe Reverendus *Dn. Frischius, Starckius, Tillius, Coccejus, Altingius,* & præsertim a recentioribus maximo cum fructu in *Psalmos* usurpatus Geierus, qui p. 1396. ita scribit: *De ipso Messia accipiunt Chaldaus, Junius, Augustinus, Belga,* aliique & quidem non *sine insigni pondere*: nil siquidem magis *Patrem* potest flectere, quam *fili* mentio, uti Dan. IX, 17. f. &c. Quem ego quidem *Danielis* locum non sine causa tam *emphaticam accentuationem* accepisse reor, cuicumque tandem ea origini tribuatur. Profecto uti nos hodie, ita & vera *Ecclesia antiqua* a Deo omnia petiit in *nominè Domini Regis Messia*, licet tum adhuc *venturi*. Ego quidem in proposita loci nostri explanatione, a *Lutheri* nostri versione & explicatione eo *lubentius* recedo, quo *verius* est: ipsum illum in translatione, quæ a *prima* ejus manu venit, literam extulisse ita pressius: *über den Sohn / den du dir gestärck hast.* Eo autem confidentius ac securius in mea acquiesco sententia, olim jam adoptata, cum firma mentis convictione, quo solidius eandem & planius comprobaram deprehendi, & ad praxin quoque piam distincte applicatam in *Theoph. Aleth. Gr. Erläuter. T. III. 736. & 748.* ubi ad nostram plane mentem *B. Laur. Müllerus* verba a me ante notata convertit egregie, quem collatum omnino velim.

X. In vulgus notum est, quantum *difficultatis* Interpretibus variis olim pepererit & *Leviathan Jobi,* & *Piscis Jonæ deglutitor.* Absurdissime a janua aberrarunt exegetica, qui vel *allegoricum* Leviathanem cum *Scholasticis* confinxerunt Diabolum, sensu literali neglecto, vel *Jonæ* etiam historiam, ejusque *Piscem* deglutientem in *Judaicum anigma* cum *Cel. Hardtio* transformatum eunt. In *quancunque* partem se etiam verterunt, qui aut cum *Bocharto*, cumque sequentibus, *Pfeiffero, Scheuchzero,* aliisque, *Leviathanem* de *Crocodilo* exposuerunt, aut, cum plurimis, a *Ceto* *Jonam* fuisse deglutitum, statuerunt: nunquam vel *sibi* vel *aliis* in totum satisfacere sciverunt. Sed *dies diem docet,* & in hac quoque causa docuit: dum *Theologus* *Eruditione* quavis instructissimus, & ex *Bremens. Bibl.* notus, *Cel. Theod. Hassius*, A. 1723. in sua *Disquisitione de Leviathane Jobi & Ceto Jonæ*, occasione capti A. 1721. *piscis* insoliti in mari glaciali, sc. *eines Zahn-Fisches / dentati piscis*, quem *Orcam* vocant, pluribus demonstravit argumentis: *Talem Orcam & Jobi esse debere Leviathanem, nec alium quoque esse posse, qui Jonæ aliquot dierum prabuerit diversorium.* Quicquid jam sit de *Petassolii, Heumanni* atque *Wilschii* controversia: utrum *Jonas* *Propheta* non in *Ventre*, sed in *ore tantum* *piscis* sui, juxta *emphasin* vocis *כֶּסֶל & דַּיָּם & κατὰ* delituerit: hoc jam orbi patet *erudito*, nec *empactarum* gregi cedendum, nec *allegoriis* insulsis indulgendum, nec sententiis *improbabilibus* inhærescendum esse. Num vero *D. Scheuchzerus* in novis *Bibliis* suis *Physico-Mathematicis*, ante a se defensam in sua *Physica S. Jobi* sententiam *Bocharti*, cum *novæ* hac *Doct. Hassi* permutaturus sit, planum faciet experientia: saltem *Cel. Heidelbergensis D. Miegius* id se ab illo expectare mihi asseveravit, cum duobus abhinc annis *Heidelbergæ* eum inviserem. Scilicet, nihil in hoc orbe scribitur *perfectum*: nulla quoque unquam *Biblia*, vel *commentarii* in ea, esse poterunt omnibus numeris absoluta: propter *infiniti Intellectus divini*, *Scripturas* revelantis, *majestatem*, propter venerandam voluminum *sacrorum antiquitatem*, propter linguæ amplius haud vernaculæ *genium peculiarem*, & tandem vel maxime *stiam* propter humani ingenii *infirmiorem & diversitatem*. Anhelemus igitur *το τελευτον*, in altera vita nobis promissum, ubi *imperfectorum omnium* eris

F I N I S!



& folario p
 banda est &
 eo, qui v.
 autem ulter
 Altingius,
 qui p. 1396.
 alique & q
 quam filii r
 causa tam e
 buatur. Pr
 ne Domini
 explanation
 est: ipsum
 pressius: ul
 mea acquie
 eandem &
 catam in Th
 B.Laur. Mill
 X. In vul
 Athan Jobi,
 Allegoricum
 vel Jonæ et
 Hardtio tran
 charto, cum
 posuerunt, a
 vel aliis in t
 dum Theolo
 saus, A. 1723.
 insoliti in m
 demonstravi
 esse posse, qu
 Henmanni at
 tantum pisci
 orbi patet eru
 sententiis im
 Physico-Math
 hac Doct. Ha
 Misgius id se
 inviserem.
 commentarii
 ni, Scriptura
 tem, propter
 stiam propte

um dicere: Non omnino impro
 vel maxime approbanda est ab
 posita trutinaverit. Conferatur
 ius, Starckius, Tillius, Coccejus,
 tu in Psalmos usurpatus Geierus,
 is, Junius, Augustinus, Belge,
 magis Patrem potest flectere,
 quidem Danielis locum non sine
 icunque tandem ea origini tri
 a Deo omnia petiit in nomi
 quidem in proposita loci nostri
 lubentius recedo, quo verius
 nu venit, literam extulisse ita
 utem confidentius ac securius in
 entis convictione; quo solidius
 n quoque piam distincte appli
 ubi ad nostram plane mentem
 , quem collatum omnino velim.
 ous variis olim pepererit & Levi
 aberrarunt exegetica, qui vel
 obolum, sensu literali neglecto,
 in Judaicum enigma cum Cel
 tiam verterunt, qui aut cum Bo
 , Leviathanem de Crocodilo ex
 m, statuerunt: nunquam vel sibi
 & in hac quoque causa docuit:
 pensis Bibl. notus, Cel. Theod. Ha
 ra, occasione capti A. 1721. piscis
 is, quem Orcam vocant, pluribus
 Leviathanem, nec alium quoque
 Quicquid jam fit de Petasolii,
 oheta non in Ventre, sed in ort
 κοιλιᾷ delituerit: hoc jam
 toris insulis indulgendum, nec
 heuchzerus in novis Bibliis suis
 sententiam Bocharti, cum nova
 : saltem Cel. Heidelbergensis D.
 abhinc annis Heidelbergæ cum
 ulla quoque unquam Biblia, vel
 propter infiniti Intellectus divi
 oluminum sacrorum antiquita
 tarem, & tandem vel maxime
 Anhelemus igitur το τελευσθῆναι
 num omnium eris

